

F. 204.





ILLUSTRIA  
MIRACULA  
~~COR~~ DIVI ~~FRANCISCHI~~  
FRANCISCI  
XAVERII

Oberburgi in Styria Inferiore  
THAUMATURGI,

Literis primūm Germanicis vulgata, nunc  
à quodam Societatis JESU Sacerdote  
in Latinum translata.

*Laureatis Honoribus*

Per illustrium, Reverendorum, Præno-  
bilium, Nobilium, ac Eruditorum De-  
minorum, Dominorum,  
Dum

In Alma, ac Regio-Principali Soc. JESU  
Academia Claudiopolitana supremâ  
Philosophiae laureâ ornarentur,

*P R O M O T O R E*

R.P. ANTONIO GRUEBER è S. JESU  
AA. LL. & Philosophiae Doctore.  
ejusdemque Professore emerito,  
Dicata

Anno MDCC. XXXVII. Mense

Die

CLAUDIOPOLI. Typis Academicis, Soc. JESU.

BIBLIOTeca  
ASTRA  
SRIU

1988 4117

藏文大藏经

四





## PERILLUSTRES,

Reverendi , Prænobiles , Nobiles ,  
Excellentes , ac Doctissimi Domini

# NEO-MAGISTRI!

**S**upremum in Philosophia honorem  
gratulaturi, Domini Neo-Magistri, Pro-  
digia , & res divinitus gestas Divi  
Francisci Xaverii, Philosophiae utri-  
usque orbe teto Magistri longè Clarissimi, ho-  
noribus vestris inscribimus. Munus, ut opinam-  
mur , vobis sanè gratissimum. Hoc etenim  
Duce arduum Sapientiae iter suscepisti; decuit,  
ut, eodem Ductore, gloriösè terminetis. Nec  
miramur , felicem vos huic itineri finem po-  
suisse ; à Duce etenim sapientissimo sapientes  
pariter vos effici , oportebat. Is enim nondum  
Adolescentiam egressus , jam Lutetiæ , alteris  
totius Europæ Athenis, ob incredibilem in scruta-  
ndis naturæ arcanis celeritatem , primùm Phi-  
losophiæ Doctor renunciatus , dignus postea, ut  
è tanto Virorum Doctissimorum numero ad ex-  
plicanda Sapientiae arcana unus de ceteris Xa-  
verius deligeretur. Verum non Lutetiæ unius  
Athenæo Virtus hæc Xaverii contineri potuit;  
universum admirum Orientem sibi in Lyceum  
dele.

delegit, in quo rudibus perquam Discipulis recondita Sapientiae Cælestis arcana Xaverius explicaret. Quantam ibi Doctor hic sanctissimus progressionem fecerit, testimonio sit Paulus V. Pontifex Maximus: qui, plures à Xaverio Cælestis sapientiae cognitione imbutos fuisse, testatur, quam suo Romani, Græcique olim subdiderint imperio. Sed nec his etiam temporibus factis suis deest Xaverius. Oberburgum vile tametsi Styriæ Inferioris oppidulum, sexcentis plura recenset, quæ à Xaverio divinitus gesta sunt, & etiamnum geruntur. Ex his itaque pauca, in fascem veluti collecta, honoribus vestris deferimus. Accipite Domini Neo-Magistri, & tanti Sapientiae Doctoris gesta, & facta volvite, & in rebus quibuslibet opem ejus implorate: tum sperate futurum, ut spe certa fidem implorantibus nunquam desit Xaverius. Nos verò, dum munus hoc deferimus, id etiam à Deo immortali, & Magno Sapientiae Magistro, Xaverio, precamur, ut honor hic literarius, quem meritis consecuti estis, sit gradus olim ad amplissimas in utraque Republica capiendas dignitates. Quod etiam Virtus vestra, ingenii perspicacitas, labor indefessus, scientia non mediocris pollicetur, ac nos iterum, iterumque à Superis petimus, & precamur.

## Honoris vestri

Studioſiſſimi  
Condicipli Metaphysici.



*Lectori Benevolo Interpres.*

**A**Bhinc quadriennio Græciū Styrorum urbe in lucem prodiit libellus, formis hæredum Widmanstadianorum excusus, Thaumaturgi Oberburgensis D. Francisci Xaverii beneficia, ac miracula, illaque in paucis memoranda complexus. Hunc ego cùm obiter legendo percurrissem, animum continuò adjeci, ut è Germanico, quō scriptus erat, idiomate in Latinum transferrem, ad quod faciendum non una me re perpelli sentiebam.

Primùm: occasionem mihi oblatam esse gratulabar, qualecunque obsequium hoc meo conatu D. Xaverio reddendi, sub cuius tutela triennium

A.

Phi-

Philosophicum docendô feliciter emen  
sus, ac multis præterea per eum benefi-  
ciis donatus, turpe ducebam hominis  
ingrati dedecus ( quô nullum in civili  
republica, ac Societate hominum pro-  
brosius esse duco ) mihi adhærescere;  
si, cùm possem, ejus honori nihil vi-  
cissim impenderem. Volebam deinde  
iis hocce meum Studium gratificari,  
qui non perinde germanicarum, ut la-  
tinarum litterarum periti, legere hic  
possent, quæ multorum alibi Sermo-  
nibus celebrantur; nec penitus igno-  
rarent ipsi, quæ alii jam propè mirari  
desierunt. Non etiam dubitabam,  
quin, si hæc tam clara prodigia, qui-  
bus Sanctum suum DEUS hoc ævo il-  
lustravit, in patria quoque nostra lege-  
rentur, futurum esset, ut pietas juxtà  
fiduciâque in Xaverium magnum in  
multorum animis incrementum cape-  
ret, prout his lectis, aut famâ cognitis,  
multorum alibi fervor increvit, ad Xa-  
veri-

verium magnis deinceps studiis percolendum. Sanè ab illo tempore, quô Divus in æde sua Oberburgensi stupendis illis rebus, ac prodigiis inclaruit, pietas quoque in Xaverium vehementer aucta est, non solum per vicinas, quibus Oberburgum interjacet, regiones, verùm per Provincias etiam remotissimas; ut hodie Bohemia, Silesia, Moravia, ipsaque adeò Saxonia (qua sui parte Religiones Romano-Catholicas profitetur) Xaverium non modò non ignoret, sed singulari etiam cultu impensè veneretur.

Porro Libellum ità partitus sum, ut prima ejus parte, quanquam brevibus, illa exequerer, quæ de Authore, ortu, ac incrementis loci Sacri, ac pietatis Xaverianæ memoranda veniunt: altera eventus mirabiles, ac prodigia ab anno M. DCC. XVI. ad annum usque M. DCC. XXXII. recenserem. Hac tamen parte altera diversum ordinem

secutus , à germanicā editione discessi : nam illa nullo ordine miracula, sed prout gesta sunt , secundūm annorum seriem exhibet ; ego illa hīc ad certa capita revocavi; ut uno velut obtutu Lector videat, quid in quovis genere patratum sit. Ubique tamen annum, quō beneficium collatum est, præfixi; ut curiosus Lector, si cum Germanica Latinam illi narrationem conferre visum sit, diu scrutari paginas, atque huc illuc versare non debeat.

In interpretando cavi Religiosè , nè quid rebus factis adjunctorum adderem , quæ in editione Germanica non leguntur. Nam etsi hoc, ut vocamus , circumstantiarum quasi scheme suavior alicubi , ornatiōrque potuisse narratio effici, agere tamen volui interpretēm fidelem; maluīque, ut narrationi in recensendis rebus alicubi suavitas, quām mihi in interpretando fides deesset.

Cæterum, quæ isthic mirè gesta  
recensentur, fide humana, quām po-  
tuerunt, maxima sunt stabilita. Pluri-  
ma námque ii, qui narraverunt, jure-  
jurando addito firmârunt. Alia inte-  
gri hominum Cœtus, alia viri probi  
ac Religiosæ conscientiæ homines re-  
tulere. Non pauca edita sunt in com-  
plurium Corona spectantium, atque  
admirantium, DE U Mqué in Sancto  
suo mirificè collaudantium. Hinc an-  
tequam Xaveriana hæc beneficia typis  
Germanicis in publicum vulgarentur,  
legitima potestate Ecclesiastica de iis  
quæsitum, posteaque rebus omnibus  
accurato examine ritè discussis, ac pro-  
batis, publica Authoritate concessum  
est, ut in lucem ederentur: en ipsam  
approbationem.

### *Approbatio Ordinarii.*

**L**ibellum Xaverianische Ehr- und  
Gnaden-Burg nuncupatum gra-  
A. 3 tias

tias singulares ope D. Xaverii Indiarum Apostoli mirabiliter , & non raro momentaneè obtentas continentem à dilecto , & devoto Reverendo ac Doctissimo Magistro Achatio Sterschiner Commissario & Vicario Nostro Oberburgensi sincera fide , ac Authenticis testimentiis innixa , conscriptum impri- mi posse jam aliàs Concessimus , nunc verò ad majorem Sancti gloriam , augendámque illius Clientūm fiduciam novas gratias ab anno MDCCXXIX. usque ad annum MDCCXXXII. ejusdem Divi Indiarum Apostoli invoca- tione , ac meritis Oberburgi obtentas , productis & accuratè revisis fide dignis , ac probatis testimentiis firmatas , Au- thoritate nostra Ordinaria approba- mus , ac , ut typis mandentur , faculta- tem impertimur. Ex officio Episcopali Labaci die IV. Februarii MDCCXXXII.

(L.S.) JOANNES JACOBUS SCHILLING,  
Canonicus , & Vicarius Generalis  
Labacensis.

PARS I.



# P A R S I.

*De Authore, Ortu, ac Incrementis Loci  
Sacri, ac pietatis Xaverianæ  
Oberburgi.*

## C A P U T I.

### Libelli totius Prospectus.

**N** locis celeberrimis, quibus miseri mortales propitium magis ac beneficium Cœlum experimur, haud postremo loco vicinum Oberburgo Strashensem collem hac nostra ætate DEUS optimus collocâsse est visus. Ab eo enim tempore, quô Xaverius ab affluente undique populo Religionibus coli cœpit, is locus maximis etiam beneficiis inclauruit, quæ plurimorum commodo Cælitus

collata sunt, DEO Maximo fidem, pieta-  
tēmque, eorum copiosissimē remuneran-  
te, qui per Sancti venerationem religio-  
sum sibi cultum impenderent. Nec verò  
ad hoc tempus is benigni Numinis favor  
ad solos ejus, aut vicinoruui circum lo-  
corum incolas pertinuit, sed in adsitas  
quoque Provincias ac Regiones, Styriam,  
Carinthiam, Carnioliam, Croatiam, Au-  
striam ubertim promanavit; ut propter  
multitudinem eorum, qui beneficiō quo-  
piam aucti sunt, nè eos quidem vacaret  
audire, qui de beneficiis acceptis confessi,  
jure jurando interposito fidem dictis adde-  
re voluerunt.

Ex iis solum, quæ chartis consigna-  
ta sunt, satis constat fuisse plurimos, qui  
aut oculorum lumen, aut gradiendi, lo-  
quendique potestatem, aut cæterorum  
sensuum usum receperunt ad id munio-  
rum cæteroquin inhabiles. Ac propè di-  
xerim, nullum cogitari tam infestum cor-  
pori humano malum posse, cui medelam  
hic loci Xaverius opportunè non adhi-  
buisset. Nec id per multas miserorum  
preces, ac suspiria; sed aliquando tam  
cele-

celeriter iis Subventum, ut petitionis finem Salus exciperet, aut yix etiamdum precari exorsos propitius Cœli favor respiceret. Ægritudines vetustate jam corroboratæ, ac opinione hominum nunquam sanandæ, fœda capitis scabies, epilepsia, strumæ, gibbi, ceteraque id genus corporis humani probra, non sensim ac per intervalla, sed momentō crebriūs, nullō suō vestigiō relictō, evanuēre.

Quin quod optimum in humanis habemus, ac quo cœtera bona omnia possidemus, vitæ, ac lucis usuram non pauci, Xaverio suffragante, aut jam amissam receperunt, aut periculō ejus amittendæ liberati sunt. Atque ut de mortuis in vitam revocatis dicamus, ab anno MDCC-XI. ad annum MDCCXXVIII. hoc est duodecim non plūs annorum decursu, triceni numerati sunt, qui communi sensu atque opinione pro mortuis habití, opitulante Xaverio denuo occéperunt Spiritum ducere. In his fuêre parvuli undeni, absque ullo animæ intra corpusculum latentis indicio in lucem effusi, quibus improsperâ fortunâ utrâque scilicet vitâ carendum

fuerat, nî Xaverius de concilianda Numinis Clementia appellatus vitam infelicibus exorâisset. E quorum numero aliis, mox ut salutari fonte expiati sunt, vitam denuo ponentibus, alii deinceps etiam proximare. Extra hos alii novem supra denos censi sunt, qui aut aquis præfocati, aut aliis funestis casibûs extincti · posteaquam tamen Xaverio supplicatum est altiore imperio redux anima in exanguia eorum corpora rursus imigravit.

Ab anno MDCCXXIX. ad usque annum MDCCXXXII. de aliis quaternis testimonia edita sunt jurejurando confirmata, quos inter puer unus, tres cœteri mortui fœtus fuere. Annorum igitur sexdecim continenter se se evolventium spatiô, nempe ab anno Seculi hujus decimosexto, quô Xaverii nomen celebre Oberburgi esse cœpit, ad annum usque tricesimum secundum, quatuor supra tricenos, deprecante Xaverio, ad vitam revocati sunt, quod haec tenus alicubi factum in tam brevi tempore vix aliquis legerit, vel ferente per ora vulgi fama fandò acceperit.

Præter illa , quæ adhuc diximus , beneficia , aliis se modis Xaverii benignitas ostendit dum seu miseros Colonos per aëris Cœlique inclemantium damna perfessos , prosperâ dinceps beavit fortunâ , seu maturè cavit , nè sui Clientes è rerum suarum jactura detrimenti aliquid caperent . Agrestis certè plebecula utili pietate per eas oras Xaverium opitulatorem vocare jam insuevit , sicubi jumenta , pecudésque , quæ in quotidianum hominis usum deserviunt , aut peste contacta fatiscunt , aut alio quovis malo timentur absumenta . Sanè ad hoc tempus tantùm pecoris consanatum est , ut beneficia hujus generis multò minùs exscribi potuerint , quàm quæ homines in se collata esse meminerunt , ut nihil de eo dicamus , quod alicubi agris est indita fertilitas , alibi hymenis vis aut procellæ fracta , ne calamitatem frugibus afferret

Sæpe etiam Divus Noster per somni imaginem objectus dormientibus , aut etiam vigilantibus præsens , & aspectabilis , eo habitu , quo illum in Icone Oberburgensi colores adumbrârunt , fiduciam  
cape-

capere hortatus est alios , alios de seria  
commissorum pœnitudine , alios item de  
sua æde , si salvi esse cuperent , invis-  
enda admonuit.

Illud denique Numinis beneficenti-  
am , ac Xaverii potens patrocinium sæpè  
commendavit , quodd undam ejus nomine  
consecratam , aut ectypas imagines sibi  
salutares esse multi experti sunt , non se-  
cūs atque olim sudaria Pauli , ac semicin-  
etia salutem dedisse iis , qui contigerant ,  
Divinæ litteræ perhibent . Sed nos in  
tanta varietate tot tamque Illustrium pro-  
digiorum solummodo illa , libelli parte al-  
tera , pertexemus , quæ de plurimis sele-  
cta , ac testimoniis ritè stabilita , publicæ  
lucis veniam legitimæ potestatis suffragiō  
meruerunt .

## C A P U T II.

*De Authore cultūs Xaveriani apud  
Oberburgenses.*

**E**Quidem apud omnes bonæ rationis ,  
sensusque humani non expertes in  
confesso res est , bonorum , quibus frui  
mor-

mortalibus conceditur, omnium Authorem ac Principem esse communem illum DEUM, cuius providentia, ac vis rerum gubernatrix dispensat recte omnia, quæcunque sive utilis, sive magnæ rei nomen apud homines sortiuntur. Quæ tamen est Numinis in mortale genus charitas, ut quidvis magnum ac præstans molitur, non id se solo vult efficere, verùm hominum quospiam in Societatem adsciscens, quibus tanquam instrumentis idoneis ad perficiendas res utatur, sic primam actæ rei laudem gloriæ suæ seponit, ut quod est laudis reliquum, velit hominibus secum esse commune. Princeps igitur effector omnis boni DEUS, homines tamen deligit quæs velut operis opportunitatis ac ministris utatur iis efficiendis, quæ illi maximè visa essent. Quam rem jam olim Paulum laudi sibi modestè vertisse Sacræ litteræ perhibent, \* pietate illa ardentevires, ac robur addente, quam ad omnia sibi utilem expertus cœteirs quoque Apostolus commendavit.

Maxi-

\* 1. Cor. 4.

Maximas sanè res ætate hac nostra patrare Oberburgi DEUS optimus decrevit, clarissimisque prodigiis illum juxta locum, ac Sanctum suum Xaverium illustrare: voluit tamen simul tam grandibus efficiendis rebus adesse hominis cuiuspiam industriam, per cuius cœpta, studiūmque provehendæ Divinæ gloriæ, nec non ampliandi honoris Xaveriani initium duceretur eorum omnium, quæ postea collata sunt in homines beneficiorum, & ad hunc usque diem plurima conferuntur.

Est is Achatius Sterschinerus, vir Clarissimus ac Religiosissimus, qui per annos 20. paraeciæ Oberburgensis Curionem, seu, ut vocant, Commissarium laudissimè agens, Anno MDCCXXXIII. propter emeritum Senium eâ Provinciâ decedens, hodie ædis Xaverianæ Director, ac etiamnum vivus magna animi sui voluptate & vidit haec tenus, & adhuc videt laboris à se suscepti fructum, dum numerosissimo undique populo confluentे, magna indies fiunt Incrementa pietatis. Hunc nempe DEUS virum Xaverio donavit, qui ejus à puero percolendi impensè

pensè studiosus , prima veluti origo esset , unde ea bona , quæ per vicennium eò loci consecuta sunt maxima , ortum suum ducerent.

Natale solum Achatio Locopolis Carnioliae superioris oppidum fuit ; dies natalis V. Iduum Majarum anni MDCL-XXVI. Pueritiam Achatii parentes primùm , postea Magistri in Lycae optimis moribûs formavere ; ut jam tum iis rebus pararetur , quas per illum effici deinde DEUS voluit. Dum Labaci , quæ Carnioliae urbs est primaria , litteras amæniores cum pietate discit , solemne illi erat quot annis novem dies legere , quos cultui Xaveriano seponeret , Magistris Authoribus , ardenter precatione , cæteraque rerum piarum exercitatione consecrandos , qui usus pietatis multum illi quoque profuit in profectu rei Litterariæ capiendo. Nam cùm aliquando certamen indictum esset Litterarium , secundum quod Victoribus Præmia darentur , Achatius ad suum recurrens Xaverium , Sacrum illi Novendum voyet , si in potiendo Præmio primas teneret. Et verò ex Voto illi rescedit :

cidit : cœteris omnibus palmam cedere coactis , atque imprimis æmolorum primipilo , qui unus illi maximè dubiam eam fortunam facere poterat. Erat is Joannes Baptista Præschernus , vir deinde in Societate summa Vota professus , & ab eruditio- nis , ac Doctrinæ severioris famâ per celebris , qui per præcipuas Provinciæ Austriæ Societatis JESU Academias , profanas ju- xtâ , Sacrásque Scientias multis annis cum insigni laude explanavit. Hac eadem in Xaverium pietate Achatius deinceps usus , ac Sacri Novendii ritum sibi solennem faciens , Viennæ Austriæ sublimioribus sci- entiis diligentem operam septenniō nava- vit , Magistri in Philosophia Lauream præterea adeptus.

Ad annum dein MDCCII. Sacerdo- tis honore auctus sub Patriarcha Vene- tiarum , mox ad Diæcesim Episcopi Laba- censis transiens , animarum salutem gna- viter cœpit procurare , factus primum in Parochia S.PetriLabaci , itemque ad D.An- tonii in Bresovicz Sub-Vicarius , cum ante nullum illa Ecclesia Curatorem ani- marum censuisset. Subinde dicatis DEO

Virgi-

Virginibus in Parthenone Labacensi datus animi , ac Conscientiæ Moderator , id in cæteris curis non postremum habebat , ut Xaverio suo venerationem apud Sancti- Moniales Virgines conciliaret , docendo modum , quo potens Divi patrocinium demereri sibi possent , si per novem illi continenter ferias preces funderent , ac honorem , quam alias consuēsent , ampliorem haberent.

Sed inter hæc rebus majoribus Numinis providentia Virum præparavit , quando aliquot post annis Oberburgensi oppido datus Commissarius , ac Pastor animalium , pietatem in Xaverium cum ejusdem reliquiis , & imagine , ac scilicet felicitatem illam grandem secum vir optimus invexit , DEO Zelum illius , ac lucrardarum animalium studium copiosissimis fructibus remunerante , quos inter animi effusè gestientis solatia bonus Scenecio hactenus legit.

Cæterum in Xaverio sibi in Patronum adscendendo eò potissimum Achatius prospexit ( quoniam satis Orbi constat , Divum hunc Indiarum Apostolum mirò

animarum Cœlo vindicandarum Zelô ar-  
 sisſe, atque in excolendis animis non feli-  
 citer minùs, quām affiduè laborâſſe) ſibi  
 quoque potenti ſua tutela ut Divus ades-  
 ſet, curāmque, ac labores pro ſalute ho-  
 minum fuſceptos fortunaret. Hac mente  
 ſe fuſſe vir probus, tum, cùm Xaverii  
 cultum, apud Oberburgenes induceret,  
 datâ ad amicum ſuum, de Societate no-  
 Stra Sacerdotem Epistolâ ipſe in hunc mo-  
 dum fatetur. (Ego inquit, præfixam cona-  
 tibus meis metam feliciter teneo: quanta  
 id animi voluptate? ſolus mihi conſcius  
 eſt DEUS. Xaverium mihi imprimis per-  
 colendum ea de cauſa ſumpſi, ut quā mi-  
 hi vires deeffent in bono ovium mearum  
 procurando, Xaverius ſubveniret: Et, ut  
 plurima taceam, ſanè expertus multos  
 Xaveriani cultūs uſu à licentia alienatos,  
 atque ad vitam caſtigatiorem traductos;  
 rudem præterea ruris plebeculam, quæ  
 ſuperstitiosis uti amuletis antea inſuērit,  
 jam Xaverio potiūs fidere, nec orci-  
 anis artibus de cætero, ac carminibus vim  
 tribuere. Xaverium ut omnes omnium  
 locorum Curiones ſibi tutelam deligant,  
 id

id verò imprimis optârim , sensuri certè olim quantum in regendis hominum animis , Cœloque asserendis Xaverius valeat: ) Hæc ille.

## C A P U T III.

*De prodigiosis Divi Xaverii , quæ Oberburgi habentur , Lipsanis.*

**A**gentem adhuc Labaci D. Commis-  
sarium , inque commissi sibi mune-  
ris curas intendentem , dudum id deside-  
rium tenebat , reperiendi quidpiam de  
Sacris Xaverii Lipsanis , ac si qua posset ,  
sibi proprium faciendi . Nam quod in mu-  
nere Curionis ritè obeundo , juvandis-  
que concreditis olim sibi ovibus , viam om-  
nem , modumque solerter explorabat ; nec  
illi ignarum esset Xaverianas ejuscemodi  
reliquias non quoad corpus modò , sed præ-  
cipue quod animum attinet , multis fuis-  
se salutares , ex his adjumenti multum ,  
si potiretur , in rem suam non vanus  
sperabat . Itaque ejus generis Sacra  
Lipsana non alibi magis , quam apud Xa-  
veri-

verium quærenda ratus ; certè conciliato  
Cœlite proniùs reperienda confidens , ad  
diem X. Calendas Septembres Anni M-  
DCCXI. novem Xaverio ferias institit  
dedicare.

Non multò postea , quām id Religio-  
nis Divo suo dependit , adito familiari sibi  
de Societate nostra Sacerdote , quō de-  
sideriō teneretur , inter colloquendum ex-  
ponit. Is Sacerdos , Andreas erat Swei-  
gerus , qui partem non exiguum ejus apud  
se lanæ asservabat , quā brachium dextrum  
Francisci Xaverii Goæ Annō MDCCXIV.  
petente Summo Pontifice à reliquo cor-  
pore resectum , dum ex India Romam  
defertur , fuerat involutum. Has tales  
reliquias jam pluribus Salutares usus fece-  
rat , Clagenfurti præsertim , ac Labaci , ubi  
is , quem dixi Sacerdos , dum ægrotanti-  
bus pro more adstitit , reverenti osculo ve-  
nerandas præbens adjecta in Sancti hono-  
rem perbrevi precatione subitò langven-  
tes valere expertus est. Et pluribus dein-  
de miraculis eorum Lipsanorum firmata  
est veritas , quibus prætermissis unum hic  
solum referam , quod novissimè Annō ab-  
hinc tertio factum accepimus. Mi-

Michelstadii Cœnobium est in Carniola celebre, in quo Virgines degunt Sacram D. Dominici Regulam Professæ. Hic inter cæteras Josepha quædam Felberia Xaverii nomen à teneris venerari solita, mali phrenetici vehementes insultus patiebatur, sic ut ea vis quater interdiu, aut sæpius infestam per vices haberet. Post consumptas unâ cum pharmacis artis medicæ industrias, jam Virginem Medicus deposuerat, animi Curatorem accersendum dictitans, qui fatiscentem, ac paulò post excessuram ad portum Æternitatis prospere deduceret. Cum eatenus ægræ provisum fuisset, cæteræ Sorores, non utique altiora etiam præsidia, ubi humana deficerent, negligenda arbitratæ, ac spem in Xaverii tutela reponentes, partem earum reliquiarum, quam de eadem lana goffypina domi habebant, fronti decumbentis ( insciâ, quid circa se ageretur, ægrâ ) imponunt. Ecce autem Josepha mox in somnum deflexa, quem priùs omnem oculi recusaverant, placide acquiescit. Inde cum evigilâisset, correto ad hilaritatem vultu sorores affata,

hem, inquit, sorores charissimæ, dormienti mihi Xaverius adstitit, ore, ac habitu Missionarium referens, qui mihi frontem molli manu destringens, hæc addidit: equidem chara filia, periculi secura esto: non tibi in præsens metuenda mors jam integrè valenti: mirantibus quæ aderant, sororibus, illa stratum recusare, ac tempestivè è lecto surgere, quin etiam è cubiculi angustiis foras prodire velle. At hyemante tum graviter Cœlo, id facere prohibita est. Id tamen ubi factum medicus, ac Sacerdos intellexerant, manifestò id miraculò factum pronunciantes, Divinam beneficentiam, ac Xaverii potens patrocinium collaudavère.

Talibus eventis eorum Lipsianorum sinceritas ostendebatur, & Achatius mirè sibi eam ob rem gratulatus est, quod, ubi suspiratus diu thesaurus lateret, liquidò comperisset. Sed hoc demum anxiè recognitabat, quā partem ejus ad se aliquam adytereret. Et erat spes illo potiendi modica: fatis enim apparebat, Sacerdotem ægrè animos inducturum, ut illo, quo in rebus suis charum nihil magis habebat,

sacrò

sacrû se cimeliô privet. Nihil tamen Achatius desperans , ac scilicet Xaverium ultrius exorandum existimans , alias sibi preces , aliud Divo Sacrum novendum indicit , enixè rogitans , ut qui in notitiam earum reliquiarum se deduxisset , jam Patris animum flecteret ad earum partem sponte in se transferendam . Primus is dies erat cœptæ devotionis , quo Commissarius ad Patrem invisurus accessit , nihil dum mentionis inferre cogitans de Lipsanorum parte sibi donanda . Sed enim verò , ex insperato reperit , quod tum minime quærebat . Sive enim Sacerdos Viri amicitiæ tantum tribuebat , sive , quod verius , animum hominis Xaverius permovebat , Pater thecam reliquiarum ultro reclusit , partémque ejus lanæ insignem , cum testimonio , quod fidem faceret , Commissario libens impertit . Facile intellexit Achatius , eam Sacerdotis facilitatem non aliunde , quam ex Xaverii imperio esse profectam : ideoque , actis Patri prolixè gratiis , reliquos dies inter multam animi lætitiam Xaverii venerationi studiosè impendit , easque reliquias venerabundus

apud se asservavit , dum denique illas , uti infrà dicemus , publico cultu venerandas Oberburgi ad aram Divi exposuit , multis dein misericordis salutem allaturas .

## C A P U T IV.

*De Thaumaturga , quæ in Sacra ejus ædibus visitur , Xaverii morientis Imagine .*

**S**ecundum reliquias prospero sanè even-  
tu in possessionem receptas , eam co-  
gitationem sumpsit Commissarius , elegan-  
tem Xaverii effigiem periti artificis manu  
depictam addere , quæ olim unâ cum Sa-  
cris Lipsianis ad ciendam plebis frequentia-  
m , nutriendamque in animis pietatem  
in publico prostaret . Multa secum ma-  
ture deliberanti , quonam habitu Divus  
in tabula exprimendus foret , ea demum  
inter omnes forma placuit , quæ Sanctum  
in Sanciano , deserta Sinarum Insula ,  
ærumnas inter morientem exhiberet . Hanc  
enim speciem credebat fore Cœliti gratio-  
rem , quod illam aliâs miraculis in vulgus  
editis probare visus esset . Rem proinde  
pictor-

pictoris arti commendat , rogans , ne ulla  
 Magisterii sui industrias operi deesse pa-  
 teretur. Et verò artifici , dum postea  
 manum tabulæ admovit , colorum tem-  
 peratura , ductusque linearum omnes tam  
 prosperè cessere , ut denique opus omni  
 parte absolutum prodiret. Qui prostan-  
 tem in ara Xaverii eam effigiem Ober-  
 burgi viderunt , fatentur , ingeri primùm  
 Sacrum quendam horrorem intuentibus ,  
 sed illum extremò mira quadam suavitate  
 temperari , quam animo spectantes , vene-  
 rantésque sentirent. Hinc : aded dubitare  
 fas non est ( præscritim tot postea rebus mi-  
 rabiliter patratis ) ut eâ formâ Cœlitem  
 expingendum curaret , Cœlitus eam men-  
 tem Authori esse inspiratam ; nec minus  
 artificis manum altiori cuidam imperio  
 paruisse , quæ illam arcana quadam vi per  
 tabulam ductârit , certè artifex sæpius de-  
 inde , ut primæ iconi alteram geminam  
 expingeret , rogatus , cùm id tentaret , ma-  
 nu non æquè prompta , operam , conatûm-  
 que omnem visus est ludere. Quæ omni-  
 um proximè prototypon referat , illa esse  
 prohibetur , quæ apud Pragenses in Bas-

lica Salvatoris apud PP. Societatis JESU visitur ; in ejus tamen pictura , rem ajunt memorabilem , quam modò narrabimus , evenisse.

Thaumaturgi Oberburgensis famâ per Bohemiam crebrescente , ejusque juxta iconibus per eas oras quaquaversum dilatatis , Pragensium quibusdam cupido incesserat habendi apud segenuinam Xaverii Oberburgensis imaginem , cui pro suo in Cœlitem studio venerationem impenderent . Ergo id negotii D. Commissario per litteras commendant , ut quoniam primæ iconis pingendæ ipse Author fuisset ; artifex etiam in vivis adhuc Labaci degeret , vellet eō Oberburgum evocatō , ectypam imaginem prototypæ , quām fieri posset , similiorem exprimi curare . Id annō MDCCXXXIII. Pragenses rogavere . Nec Commissarius justa potentium vota , in longum differenda ratus , Pictorem evocat , ac quid Pragenses vellent , expositō , rem illi enixè commendat . Secundum hæc imago ex ara deponitur , atque ante artificis oculos collocatur , ne quid in imitando hallucinetur . Verūm admotis tabulæ peni-

penicillis, dum sequi lineamenta prototypi conatur, omnes ei ductus tam improspere cecidere, ut alias longè lineas vel ipse artifex miraretur. Quare, cùm irriti conatus hominem conturbassent, Commissarius opportunè admonet, Xaverium ei operi, ut feliciter cederet, conciliandum. Cœlitem fortasse id sibi honoris deferri velle, ne sinè piis operibus id molimini tentaretur. Itaque diei unius jejuniū præparatus, postridie animum confessione expiaret, epulumque Eucharisticum caperet; non dubitare se artificem cœpta subinde felicius tentaturum:

Hæc futuri præsgus dixisse Commissarius videbatur, quem optimè monentem secutus pictor, altero mox die de ejus manu rem Divinam pro ara Xaverii facientis, Eucharistiam capit, cùm antea de noxis reum se egisset. Ecce autem iis Mysteriis procuratus, dum penicillos postea artifex capit, operique cœpto intendit, multò jam felicius cedere cuncta animadvertis, ut brevi tempore perfecta imago, ac suo prototypo quām simillima videretur. Commodū id temporis Oberburgum venit

nit S. R. I. Princeps Sigismundus à Schrat-  
tenbach , Labacensium hac ætate Præsul ,  
qui desideriō Pragensium , ac quid præ-  
terea in effigie imitanda miri evenisset ,  
intellec̄tō , novam imaginem consuetis  
Ecclesiæ precibus lustratam ipse Oberbur-  
gensi prototypæ contingendam admovit ,  
ac Mysteria apud illam Sacra deinceps pe-  
regit . Hoc , quod modū narravi , in eo  
libello memoratur , quem de beneficiis  
Xaverii novissimè collatis abhinc bienniō  
Pragenses vulgavēre.

## C A P U T V.

### *Descriptio loci , ac Sitūs Oberburgensis.*

**O**berburgum ad id usque temporis , quo  
ibi Xaverii nomen celebre esse cœ-  
pit , exigui nominis oppidum , in finibus  
situm est Marchiæ Vindicæ , quæ hodie pars  
est Provinciæ Styriæ Inferioris . Oppido  
Castrum vetus ( quod loco nomen dedisse  
creditur ) adjacet Antistitum Labacensi-  
um fundus , quod neglectum olim , ac  
solitudine in ruinam vergens , Celsissimi  
Princi-

Principis , qui hodie Labacensium Antistes est , curâ ac industriâ novum decus accepit foris juxtâ , interiusque visendum.

Agro Oberburgensi, quâ Austrum, ac Occidentem spectat, hinc Carinthiæ, inde Carnioliae montes prætexuntur ; quâ Styriæ objacet, amplior paulò planities excurrit , in qua Sacellum D. Ignatio stratum visitur, & ipsum per eas oras frequens adeuntibus propter mira eventa, quæ ibidem quoque gesta esse memorantur. Ab ipso oppido, Græcium, Provinciæ Styriæ Caput, itinere tridui ; Cilea verò Marchiæ Vindicæ Civitas primaria tribus passuum millibus abest. Infra Oberburgum , itinere , quantum fere spatio horæ conficias, collis assurgit rotundus , ac molliter acclivis : hunc incolæ Strashen ( speculam excubialem latinè dixeris ) sermone patrio vocavere. Is olim arborum Sylvâ tectus, summo in vertice Sacellum habebat D. Virginis, ac Martyris Barbaræ, quod Sodales in Cœtum Divæ conscripti religione veteri colebant: nunc tamen repurgatus collis , nemùsque omne truncatum est commodo majori locum illum visentium.

Qui

Qui tamen per Styriam, ac Marchiam  
 Vindicam Oberburgum adventant pere-  
 grini, illud majus longè commodum sen-  
 tiunt, quod amotis salebris planatae viæ  
 sint, quâ iter à via regia deflectendum est.  
 Olim etiam ubi inhorrescens Cœlum nim-  
 bos effunderet, vis aquarum torrentium  
 è præruptis montium jugis decurrentes, vias  
 corrumpere solita, Savinam quoque am-  
 nem, qui eas regiones interluit, fecit tur-  
 gescere, atque ab alveo procul vicina quæ-  
 que inundare; sic, ut proximis juxtâ, ac  
 remotiorum locorum incolis aditus inter-  
 ciperentur. Verum hæc incommoda Pro-  
 vincialis Styriæ Magistratus, ipséque præ-  
 fertim Excellentissimus Comes Sigismundus  
 Wagenspergicus, Provinciæ, ut no-  
 minant, Capitaneus amolitus est, qui  
 loca complura ( quâ vortices aquarum  
 maximè glomerantur, viasque faciunt  
 aut immeabiles illuc versum tendentibus,  
 aut tentatu periculosas ) pontibus inster-  
 ni præcepit, quod sinè noxa Oberburgum  
 à commeantibus iretur: hinc planiora jam  
 tutaque itinera, nec, ut alias, præcipi-  
 tiis, & torrentium eluvionibus formido-  
 losa.

losa. Dedere id tum cæteri Provinciæ Proceres, tum præprimis Excellentissimus Comes Wagenspergicus suô in Xaverium studiō, ne quid ad venerationem loci Sacri affluentem undique populi frequentiam à Cœlitis cultu retardaret. Ad beneficii memoriam, quod Comes præstítit, pontium uni hoc inscriptum legitur.

SIGISMVNDVS Wagensperg CapitanEVS aVCtor.

Alteri, qui à Xaveriana Basilica propiùs abest, hæc addita est distincta litteris Chronologicis inscriptio.

XAVIER hVN C pro te fVN DAT  
proVINClA ponteM.

Sed jam imaginem, ac Lipsana Xaverii, inque his, ipsum Cœlitem propitium, ac beneficium iis Regionibus Oberburgum inducamus.

## C A P U T VI.

*Reliquie, imago, ac Cultus Xaverii  
Oberburgum inducuntur.*

**I**gitur Oberburgum non multò pòst, quam gemino illo thesauro reliquia-  
rum

rum atque Iconis Xaverii in Sanciano morientis auctus est Achatius, Superiorum jussu proficiscitur, acturus ejus loci Curionem Commissarii titulū, ac prærogati-  
 vā. Hic verò sedem velle Xaverium sibi figere, unde gratias, ac beneficia immortalia suos in Clientes dispensaret, animō præsagiens Achatius, magnō delibutus gaudiō ejus Ecclesiæ procurationem suscepit. Addubitabat nihilominus, quodnam potius odeum Sacrum deligen-  
 dum esset, in quo ad venerationem populi lipsana juxta, ac Iconem Cœlitis proponeret: multa deliberanti stetit de-  
 mum sententia, aliis Commissariatūs, quem vocant, Sacris ædibus, collem, Strashensem, inque eo situm D. V. ac Martyris Barbaræ Sacellum præferre, id-  
 que ob plures, quæ id suadebant, ratio-  
 nes. Primū, quodd is collis cum per se amœnus, tum totius Commissariatūs quodammodo medius, commodior futurus erat undique accessuris: locus etiam altitudine sua magis spectabilis, ac denique quodd festam lucem Xaverii Solemnis D. Barbaræ dies exciperet, ac propterea utri-  
 que

que Cœliti honor studiō colentium non  
interruptō haberi posset.

Verūm & alia causa subesse poterat,  
illāque cæteris haud paulo ponderosior,  
cur eō loci Xaverio placeret cultum sibi  
adhiberi. Satis constat, illud in urbe Par-  
sina Collegium, in quo tum Xaverius de-  
gebat, cùm agente Ignatio vanitatem ab-  
dicans ad vitæ melioris Sanctimoniam se  
transferret, sub D. V. Barbaræ tutela  
fuisse. In hujus igitur Partheno-Marty-  
ris domicilio, cum primum Xaverius ta-  
lentum Numinis beneficū sit consecu-  
tus, quō dein quām optimē collocatō tan-  
tūm lucri fecit, ut pondus ejus merito-  
rum ex æquo satis nemo æstimet, jure  
credendum est Xaverium per beneficam  
suam imaginem, ac reliquias, ejus the-  
sauri magnam in sibi supplices partem vo-  
luisse promere in æde ejus Virginis, in eu-  
jus antea domicilio, cùm humanis adhuc  
in rebus ageret, negotiationem illam præ-  
grandis lucri facere cœpisset.

In eo igitur D. Martyris Sacello Com-  
missarius statui novas aras præcepit, in qui-  
bus effigiem juxtā, lipsanāque Xaverii

reponeret. Jam verò, antequam ara pone-  
retur, aut etiam effigies, quam diximus,  
lipsanáque Oberburgum Labacō advenis-  
sent, prodigo memorabili Sanctus indi-  
cavit eum sibi locum, ut quem alium ma-  
ximè, placere.

Per idem tempus formidolosum Chri-  
stianis bellum cum Turca timebatur, quòd  
barbaro jam Venetos impugnante, ac Cor-  
cyram Insulam ferociter premente, ma-  
lum in Italiā, aut si Cæsar Sociis Vene-  
tis ex foedere subsidium ferret, in Hunga-  
riam latius iturum non ex vano conjicer-  
tur. Id igitur bellum, ut in perniciem  
hostium verteret, Pontifex Romanus soli-  
tas anni Jubilæi preces, ac supplicia indi-  
xit. Id anno MDCCXV. factum.

Idibus ergò Novembribus pietatis,  
ac scilicet plenæ noxarum impetrandæ ve-  
niæ causâ ad collem Strashensem venit  
Gertrudis Strashnizia, quod illi nomen ab  
eodem colle, utpote quòd prope illum na-  
ta adoleverat, creditur adhæsse. Hæc  
ab annis puellaribus oculorum cruciatu-  
vexari cœpta, proficiente malo eò demum  
redacta est, ut usum oculorum omnem  
pen-

penitus amitteret. Itaque sic, ut erat, cœcam se ad Templum in colle situm deduci curat, ubi Commissario de noxiis confessis, sub Confessionis finem sortem suam miserabilem, oculorumque eam orbitatem verbis ad ciendam misericordiam quæsitis exponit. At Commissarius opportunè fœminam solatus, hortatur ei Sancto ( quippe tunc adhuc peregrinum iis regionibus Xaverii nomen, ac vulgo ignotum, nec retentura memoriâ mulier credebatur, ) cui ipse aram in odeo statuendam proximè decrêsset, per novendum novies iteraret preces, tum quas Christus tradiderat, tum quibus Virginem Angelus salutârat. Paruit monenti mulier, easque preces Sancto confessim cœpit dependere.

Ecce autem alterius, quam id ageret, diei nocte, per somnum illi se objicit Xaverius, placidè rogans, qui haberet, quidve illi potissimum dolorem cieret? illam de ærumna oculorum conquerentem, hósque præcipue perdolere se affirmantem Divus bonū esse animū jubet, atque illas porrò preces, quas dicere institisset, per-

gere. Nam ego , inquit , Sanctus ille sum , cui jam biduo illo precationis ritu honorem habuisti , atque ego efficiam , ne te porro molestia oculorum ulla premat . His dictis phialam è sinu vitream promit , ac collyrio oculorum loca perungens respicere jam porro , lucemque jubet intueri , quam prius oculi non admisissent . Secundum hæc mulier expurgiscitur , nihil magis habens in votis , quam ne id ostentum inanis ludificatio , sed ipsa omnino res esset . Et quia properante jam die Cœlum albescebat , vultum fenestræ obvertit oculorum periculum factura , rēque ipsa advertit aliquid sibi lucis abinde allabi , vicinos parietes in tenebris esse . Post ubi ad plenum diem & ipsa plenè evigilavit , somnii veritatem penitus experta , optimè videre se deprehendit . Hoc Xaverius insigni beneficio Iconem , ac reliquias suas prævertit , illud simul ostendens , quam sibi placeret ritus ille , quod per novendum statis precibus coleretur .

Inter hæc sub finem Novembris ejusdem anni MDCCXV. posita fuit Xaverio ara in D. Martyris , quam dixi , odeo , atque

que in illa tum Xaverii morientis effigies, tum Sacra lipsana, idque Superiorum permisso, collocata. Eodem illo scilicet die, quo Xaverius in oriente, loco vasto, ac subsidiō humanō juxtā, solatioq; defectus, sed Cœlestibus gaudiis delibutus, ac Di-vino amore plenus vitam posuit. Postri-die Commissarius ipso Divi festo plebem pro Concione sermone ardenti, ac ponde-roso allocutus, ac quis, quantūsque ille Xaverius esset, ostendens, ad fiduciam er-ga Cœlitem capiendam enixè hortatus est. Res Divina per complures Sacerdotum ad novam Sancti aram facta, & qui erant è populo pientiores, epulō Eucharisticō re-fecti. Hæc erant Oberburgi studii in Xave-rium, ac cultūs initia, quæ brevi pōst tempore, DEO Sanctum suum mirificè il-lustrante, magnō incrementō, auctuque valuerunt.

## C A P U T VII.

*Novum Xaverio Sacellum struitur, a  
beneficiis locus illustratur.*

**I**nterea, dum Xaveriani nominis fama,

ejusdémque percolendi studium in dies  
prolatatur, jam Sacelli veteris angustiæ  
undam hominum undique affluentium  
non capiebant, qui ignotum sibi aliás Cœ-  
litem, at beneficum tamen, ac votis fa-  
cilem experti, studio venerandi è vicino  
circum Oberburgensi agro plurimi con-  
currere. Sacellum igitur Divo structum  
è fundamentis, inque illo ara cum  
eius imagine posita, quæ anno MDCCX-  
VII. perfecta sunt. Cæterum, dum id  
Cœlii odeum Oberburgenses moliuntur,  
ferunt tot ab eodem edita beneficia non ho-  
minum modò, sed etiam jumentorum, quæ  
in opus adhibebantur, bono, ut eorum mul-  
titudo, laterum, lapidumque, ex quibus  
assurrexit, numerum facile æquârit. Causâ  
igitur referendæ debitæ gratiæ, ac cultûs  
Xaveriani porrò provehendi per novendum  
Sacrum preces indictæ, quibus pro Xa-  
verii aris à plebe supplicaretur. Is dies, quo  
ea pietas cœpta est, III. Nonarum Decem-  
brium, ac Xaverio Sacer fuit: hunc quatuor  
vicinæ Oberburgo paræciæ celebravêre,  
supplicantium ritu sub signis, vexillisque  
deductæ. Erat ea res læti spectaculi, cum  
plebs

plebs rustica audito concentu musico, clangoréque tubarum in ea collis, tum adhuc nemorosi, solitudine, lachrymis gaudii testibus per ora infusa lætitiam animi non celavit.

Rem præterea miram ajunt per id tempus contigisse: nam ante illum diem Cœlō nivibus, perpetuaque pluviâ corrupto aquilonum præterea vis sic infremuerat, ut tecta in auras secum rapturi, stragémque domibus illaturi timerentur. Ut primum verò æs campanum ab edito turrium insonuit, quo signum vespertinis pri-dianis precibus datum est, posuere illicè venti, aérisque succedente malaciâ, innubi cœlo sol amœnus refulsit.

Itaque Cœlō in hunc modum disserenatō, per otium tranquilli temporis complura supplicantium millia affuere, è quorum numero amplius quater mille, per illud novennium, quod lucis Xaverianæ celebritas tenuit, expiatâ prius Conscientiâ, mensæ Dominicæ accubuere. Et opportunè huic, quem dixi, eventui Ecclesiastes suum sermonem accommodaverat, Soli exorienti Xaverium similem ajens, ac confertæ illum plebis nomine consalutans.

Nec sanè immeritò illud factum : Xaverius enim Oberburgum obscuri anteā nominis, tot postea prodigiis oppidò fecit clarescere ; nec minus beneficentiaæ suæ radios quaquaversum diffundens , frugique juxtā , ac nequam homines respiciens , locum effato dedit , quod Divinus Magister protulit : *qui solem suum oriri facit super bonos & malos.*\* Quòd si & hoc alterum quis cogitet , Xaverium multis beneficium, iis quoque benevolentiam impendisse , qui ignoto sibi Xaverii nomine , nihil Cœlitem eatenus rogârint ; ipse tamen seu per somni Imaginem , seu per vigiliam spectabilis affuerit , equidem de Xaverio quoque jure quis dicat , quod de Sole quidam pronunciavit : *non exoratus exoritur.* Hinc adeò per ejus regionis tractum , non rustica modò plebs , sed cultiori quoque ingenio homines eam vocem usurpant : ærumnosis adesse alios Cœlites , sed vocatos , ac prece conciliatos ; Xaverium deferenda ope ne quidem interpellatum partiri in homines beneficia solere.

## CAPUT

## C A P U T VIII.

*Xaverio nova, & ampla Basilica  
dedicatur.*

**O**lim Xaverio adhuc inter homines agenti hujuscemodi ostentum Cœlestē exhibitum esse memorant, quod illi plurimasdispari mole, ac forma cruces obiecit, quas sibi Divus præparari sentiens amore Servatoris, atque animarum tolerandas, non propterea concidere sibi animos passus, sed desideriō plura adhuc talia perferrendi, eam crebrò vocem usurpare auditus est, quâ amplius & amplius à Cœli Domino ærumnarum peteret. Jam verò quemadmodum Xaverius per ardens illud agendi, patiendique ardua desiderium Divini nominis imprimis gloriam latè proxexit, sic optimus DEUS eas fidelis sui servi perpessiones copiosè remuneratus est, ut hodie Xaverii nomen per miros eventus, & stupenda prodigia celeberrimum, veneratiōni sit populis regionum plurimarum, qui undique Oberburgum ad Basilicam Cœlitis adventantes sanè ostendunt, quan-

tus sit in eorum opinione Xaverius, quantasque spes in ejus tutela, ac patrocinio collarent. Qua de causa, cum per opportuniorem anni tempestatem magna hominum adesset frequentia, Sacram ædem Xaverii pietatis ergo visentium, necessaria visa res est, ampliorem ejus honoribus Basilikam struere, quod tum plebis devotioni satisficeret, tum etiam Divini ritus, ac cærimoniae pro dignitate tractarentur.

Die itaque VI. Idus Junias, anni MDCCXXI. primum in fundamenta novæ Basilicæ lapidem, applaudente populo, ac diem illum auspicatum esse cunctis jubente, dejectit Celsissimus S. R. I. Princeps, Guilielmus Comes Lesleus, Labacensium Antistes. Addita ad gestæ rei memoriam lamina, de Cyprio ære cui hæc talia legabantur incisa: *Anno MDCCXXI. VIII. Junii Guilielmus S. R. I. Princeps, & Comes de Leslie, Episcopus Labacensis primum lapidem posuit ad honorem S. Francisci Xaverii, Innocentio XIII. P. M. Carolo VI. Rom. Imp.* Secundum eam ceremoniam Antistes in eo loco, qui statuendæ majori aræ parabatur, Divinâ primus hostiâ litavit, ac

ac solemnem de Sanctissima Triade ( is enim erat dies celeberrimus ) Missam pergit. Nec omne res carere visa , quod ejus potissimum diei luce is Xaverio honos haberetur ; ut qui tot centena olim hominum millia in ejusdem Sanctissimæ Triadis nomine salutari unda lustrarit.

Sub hæc strui cœpta est Basilica , decoro suo , atque amplitudine hodièque visenda , nullo neque ære , neque sumptu priùs ad id comparatis : moles tamen feliciter juxtâ , celerrimèque assurgens brevi tota stetit , Xaverio tot beneficiis omnium undique hominum solertiam provocante , ut his permoti rusticæ plebis animi , omnia ædificio necessaria , atque opportuna , sinè pretio cuncti , sinè mercede comportârint , vixque aliquis repertus fuerit , qui pietatis , aut voti solvendi causâ Oberburgum veniens , non promptè , atque hilariter ei ædificio , suam gratis operam locârit . Qui è longinquo venientes reditum ad domesticos maturârunt , collatis largè donariis ærarium auxerunt ; hinc prout necessitas ferebat , sumptus commodè fieri potuere .

Ea res, dum templum struitur, speciem miraculi habere visa est, quod maximæ molis, ponderisque insani ligna, & faxa, dum tantò numerò per prærupta montium, atque impeditissimos viarum anfractus vectarentur; nihil uspiam noxæ jumentum ullum acceperit. Quin promptè, ac leviter advexere; ut facile videatur peculiarem utique ad hæc talia mollienda vim adesse, & suppetiis majoribus jumenta simul, atque homines niti, cùm in opere faciendo alacriores se ipsis, fortioresque apparerent: ut nihil hic memorrem de jumentis meritoriis, quæ inter laborandum consanata fuere, dūm antea per morbum viribus parum valuissent. Hominum etiam per ea præcipitia, vitæque ac corporis discrimina manifesta non nisi unus atque alter est lœsus, quod detrimentum, etsi oppido periculose fuerit, eò tamen casus acerbior visus est accidisse; non ut perniciem miséris molestiamque afferret; verū ut Xaverii benefica se vis ostenderet: siquidem Cœlite invocato statim ita convaluere, ut magna cum admis-

admiratione præsentium, operi pristino non  
minùs, quàm antea fortiter insudârint.

Hinc ampla denique se machina su-  
stulit, & Basilica nulli, urbium quamvis  
celebrium, pudenda. Magnificum Tem-  
pli propylæum augusta specie objicitur  
oculis intuentium, cujus summitas mino-  
ribus ex utoque latere turribus cacumina-  
ta, mediò altiore in turrim assurgit. Tem-  
pli corpus, quam navim appellant, in mo-  
dum Crucis decussatur: latus alterum D.  
Virginis ac Martyris Barbaræ loci tutela-  
ris Sacellum occupat, alterum SS. Ange-  
lorum itidem Sacellum, quos in omni vi-  
ta Xaverius præcipua pietate coluit, quós-  
que invocare mos est, ubi novem Divo  
feriæ Sacræ habentur. Ara summa ima-  
ginem de qua dixi, morientis Xaverii ex-  
hibet, infra quam lipsanotheca eleganti  
opere visitur.

Præter odeum Sacrum ampla quo-  
que domus hodie surrexit, quæ Xaveri-  
ana dicitur. Hæc Sacerdotum senūm est  
habitatio, qui sacras in Templo functio-  
nes, ac ceremonias obeunt, populūmque  
affluentem Sacris Mysteriis procurant. In  
ea

ea domo ampla præterea cubicula numerantur, recipiendis peregrè adventantiibus, nobilioribus præsertim (quod locus ab Oppido remotior est) destinata. Atque hæc omnia non aliunde, quām ex collatis piorum eleemosynis, ac largitate eorum, qui locum sacrum inviserunt (singulari fanè Numinis providentiâ, ac Xaverii, opus omne sedulò promoventis, beneficîo) sunt constituta.

## C A P U T IX.

### *Xaverianæ pietatis Oberburgi incrementa.*

**Q**uantum ab anno Seculi sexto decinio ad hoc usque diei incrementum pietas in Xaverium Oberburgi ceperit, cum ex aliis, quæ diximus, tum ex eorum multitudine præcipue definire licet, qui per anni cursum suscepto illuc devotionis causâ itinere, Xaverio ardenter preces fundere soliti, pietatem juxtâ voluptatēmque animi intuentibus aspirant. Supplicaciones certe, quæ in annos singulos ad Xaverianam Basilicam deduci solent, centum omni-

omnino numerantur , præter illos qui extra turbam soli invisunt , seu agendis pro beneficio dato gratiis , seu beneficiis indidem impetrandis , quorum quinquaginta non minùs millia per annum censa esse perhibentur.

Hæc tanta confluentis populi vis , vix facile dictu est , quām illic curantium Sacerdotum quamvis assiduam soler-tiam provocet , ac penè frangat : tametsi enim sex , septémve ut plurimum Sacri judices cum Commissario adsint , qui populum ceremoniis expient ; ad hæc vicinis è paræciis Sacri Curiones sedulam operam constanter locent arcanum tribunal accendentibus , vix tamen ea diligentia pare esse potest frequentiæ populi sponte se reum in arcano illo judicio agentis , veniamque erratorum depositentis . Ad quinque supra vicena millia de suis criminibus contentium numerus excurrit , cuius magnitudinem facile quis ex eo pensabit , si recognitet in his ipsis plurimos reperiri , qui de vita anteacta universè confessi , accusationem criminum ab ipsa pueritia ordinuntur . Hinc Sacros judices non matutinis

nis modò horis, sed per vespertini etiam temporis spatia sedula ea cura exercet, præbendi aures confitentibus, & quà admonitione, quà solatiō opportunè juvandi.

Si lætum id Cœlo, prout Christo docente compertum habemus\* unumquempiam hominum pristinæ malitiæ pertæsum resipiscere, ac de perperam actis pœnitudinem ostendere, cogitare facile quivis poterit, quām uberem gaudiorum materiam solum Oberburgum Cœlitibus, atque ipsi imprimis Xaverio afferat tantus plangentium vetera commissa numerus, præsertim cùm Divus noster nihil in omni vita habuerit antiquius, quām id genus homines ab improbis moribus ad virtutem alienatos Numini conciliare; quod ubi effectum dedit, ibi verò lætitiis fluere videbatur.

Inter augmenta pietatis illud quoque memorandum, pro aris Xaverii rem Divinam fieri creberrimè, Sacerdotum non paucis illuc peregre profectis, séque ac sua omnia in Cœlitis tutela reponentibus. Satis constat subductis ritè calculis, tria non

\* Lucæ 15. v. 7.

non minùs hostiarum reperta millia , qui-  
bus intervallō unius anni Sacerdotes pro  
aris litavēre.

Hisce talibus pietatis auctibüs  
Celsissimus Princeps Sigismundus Felix  
Comes à Schrattenbach , Labacensium  
hac ætate optimus Antistes , magnus &  
ipse Nominis Xaveriani Cultor , ac ejus-  
dem prolatandi impensè studiosus , ne  
quid novæ Basilicæ ad venerationem de-  
esset die V. Calendarum Novembrium an-  
ni MDCCXXVIII. festo SS. Apostolo-  
rum Simonis & Judæ , svetis illam Religio-  
nibus , ac solenni Cerimonia dedicavit ;  
annuam porro celebritatis ejus memoriam  
in mensis Junii Dominicum diem , qui SS.  
Primi & Feliciani Martyrum præit solem-  
nia , ritu perpetuo habendam indixit. Ne  
gestæ rei ulla unquam oblivio subiret , du-  
plex addita Scriptura , quæ ea parte Tem-  
pli , quâ chorū musici faciunt , marmori  
in hunc modum incisa legitur :

ECCe XaVIer Ipse Me fVnDaVIt.

\*

Me feLIX à SChrattenbach præ-  
CeLsVs LaBaCensIs præsVL Con-  
feCraVIt. D Deni-

Denique ut fidelium pietas amplius cresceret, Summo Pontifici Benedicto XIII. supplicatum est, piaculorum veniam donatos esse vellet, qui Mysteriis antea procurati, preces, ac vota in Templo solverent, annuit Pater Sanctissimus, & Indulgentiam talibus litteris concessit.

*Benedictus XIII. universis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem Cœlestibus Ecclesiae Thesauris pia Charitate intenti, omnibus utriusque Sexus Christi Fidelibus verè Pœnitentibus & Confessis, ac Sacra Communione refectis, qui Eccleiam S. Francisci Xaverii sitam in Styria inferiori Labacensis Diœceseos, ad quam (ut asseritur) devotionis causâ magnus populi Christiani, & præsertim peregrinorum fit concursus, in quocunque anni die devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum Concordia, Hæresum extirpatione, & S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad DEUM preces effuderint, plenariam, semel tantum quolibet anno per quem-*

quemcunque Christi fidelem lucrificiendam  
 omnium peccatorum suorum Indulgentiam,  
 & remissionem misericorditer in Domino  
 concedimus. Præsentibus ad Septennium  
 tantum valituris. Volumus autem, ut si pro  
 impretratione, præsentatione, admissione,  
 seu publicatione præsentium aliquid vel mi-  
 nimū detur, aut sponte oblatum recipi-  
 atur, præsentes nullæ sint. Datum Romæ  
 sub annulo piscatoris die XXVI. Martii.  
 MDCCXXIX. Pontificatus nostri anno  
 quinto.

Gratis pro DEO & Scrptra.

Cardinalis Oliverius.

Promulgetur ex Officio Episcopali die 12.  
 Aprilis anni 1729.

(L. S.) SIGISMUNDUS FELIX  
 Episcopus Labacensis.

## P A R S II.

*De Prodigis, quæ Oberburgi Xaverius plurima, maximaque patravit, ab Anno MDCCXVII. ad annum MDCCXXXII.*

## C A P U T I.

**Infantum complures, mortui in lucem editi, Xaverii ope ad vitam revocati.**

**Q**uilibet res apud Indiam olim à Xavero gestas accuratius scripsere; vicenos quinque numerant, quos ipse seu vivens adhuc, seu post fata invocatus, à funere ad vitam memorandō prodigiō revocārit. Idque aliquando per pueros egit, quos ipse disciplinis antea Christianis institutos, ei deinde rei adhibuit, ut eorum opera adultiores formaret. His ille corollam Marianam nonnunquam tradidit, deferendam ad mortuos, qui leviter tacti in vitam rediere. Quod quidem ea ex causa Sanctus faciebat, ut opinionem pueris apud vulgus adderet, nec tam suæ virtuti, quam eorum innocentiae, si quid

si quid miri esset editum , populi sermo-  
ne tribueretur. Cæterū inter eos ipsos  
quos vitâ tunc Xaverius donavit pluri-  
mi erant pueri innocentes , quos sibi ere-  
ptos orbæ matres luxere. Idem quod in In-  
dia , hisce annis superioribus , Oberburgi  
D. Xaverius præstítit , dum sanè non pau-  
ci , illius beneficiō succisum morte Spiriti-  
tum ducere denuo occepêre. Eos solùm  
in præsens , quos tristi partu matres in lu-  
cem mortuos ediderunt , memorabo.

Annō MDCCXVIII. ad fanum D.  
Petri Elisabetham Walltiziam partūs do-  
lores per dies continenter 15. sic exercu-  
erant , ut cùm in fœtu ipso indicium jam  
vitæ nullum obstetrices deprehenderent ,  
matris etiam incolimitas pro deplorata  
haberetur. Sed nimirum Elisabetha , ubi  
subsidium humanæ opis deesset , spem in  
Superis collocandā rata , Xaverium ro-  
gare institit , nè èò loci destitutam vellet:  
simul Votivam Missam pollicetur , si con-  
valesceret , ad Divi Aras curandam. Vix  
dum ea Vota conceperat , cum mortua pro-  
les matre incolumi editur. Crevêre mu-  
lieri juxtâ , circùmque adstantibus animi ,

ut simul in preces abjecti , magnâ fiduciâ Xaverium precarentur , vellet infanti , qui matri salutem dederit , tantillum vitæ à Cœlo poscere , quô undâ lustricâ respergi posset . Continuò infans motu corpusculi , ac respiratu vitam testatus , tamdiu vixit , dum Sacro fonte per obstetricem purgatus , puram jam animam denuo exhalavit .

Annô MDCCXX. Bartholomæus Widizius ex Carniolia inferiore apud campum D. Bartholomæi , conjugem suam quatriduô jam ex partu laborantem Xaverio commendârat . Nec diu factum , cùm ipsa quidem partu absolvitur , at mortuæ prolis , in qua XV. aliæ mulieres , quæ tum fortè aderant , indicium vitæ nullum agnoscerent . Pater Xaverium porro invocandum ratus , vota eadem geminat . Nec frustra preces fuêre : nam infans secundum hæc gemitum edit , ut vivere illum jam nemo dubitaret . Salutares ergo undæ parvulo adhibentur , quibus lustratus vivere desiit .

His similia memorant Michæl Wollus , ac Rupertus Kraishecius suis uxori- bus

bus per annum MDCCXXI. accidisse: nam illæ quidem partu simul ac periculō defunctæ, felices videri poterant, nî proles mortuas infelicitter edidissent. Religio tamen in Xaverium, precésque adhibitæ tantum valuere; ut mœror matribus etiam eatenus eximeretur, quando promissa peregrinatione Oberburgensi, mortuis fœtibus illapsa vita tamdiu superfuit, dum fonte lustrico tingerentur.

Annô MDCCXXII. Blasium deinde Huadeum Carinthum Gerdinensem jam spes de salute parturientis sociæ omnes defecerant, quod obstetrix eum partum matri juxtâ, fœtuique fatalem fore diceret. Spem nihilominus in Xaverio reponens, vota concipit, secundum quæ, mortua prole inter dolores effusa, mater periculō liberatur. Nihil inde cunctatus Pater, precari Xaverium porro perrexit; infansque post horæ intervallum manifestis indiciis vitam prodens, baptismi gratiam ritè suscepit.

Hoc eodem beneficio complures aliæ matrum, quamquam diversis annis, recreatæ: quas inter Cunegunda Grobelni-

zia Teplicensis , Ursula Matthæuska Sulzbacensis , Catharina Christianzia è S. Martino juxta Crainburgum , aliæque , peregrinatione Oberburgum suscepta , cùm eò loci vota dependerent , sospitalem Xaverium prædicavère , quòd sibi incolumitatem , prolibus salutem , suò apud Deum patrociniò , impetrâsse.

His , quos hactenus memoravi , parvulis , opitulante Xaverio tantum induciorum datum est , ut revocati ad vitam Sacris Ceræmoniis expiari possent ; expiati continuò vitam ponerent . Opportunum jam erit eos hic subnectere , qui eodem per Xaverium beneficiò aucti postea proximè .

Annò MDCCXXII. Ursulam Webrückiam Saxofeldanam morbus vehe mens anxiè solicitam habebat , nè mali vis sibi juxtà , ac proli , quam utero gestabat , exitialis esset . Cogentibus inter hæc doloribus , ante tempus fœtum enixa , cùm eum planè pro mortuo agnosceret , tristi spectaculo exterrita , deliquium animi subiit , quod cùm circiter semihoram tenuisset , sensibus paulatim reddita infante

tem denuo explorat, si quod in eo vitæ vestigium deprehenderet. Verùm, uti antea, pro exanimo jacentem Xaverio denique commendare succurrit, additò votò, si viveret, vitalisque foret, eum se sospitali Divo in æde Oberburgensi stitutram. Gratas eas preces Sanctus habuit: simul enim mater precari desit, simul infans vagire cœpit, quem postea mater ad diem VII. Idus Aprilis in odæo Xaveriano grata stitit.

Annò MDCCXXVII. Josephus quoque Saizius VII. Septembris Oberburgum è monte Trojano veniens, publicè est confessus, uxorem suam difficiili partu laborantem, matrem denique mortuæ prolis effectam fuisse: Verùm se tantillas infanti inducias vitæ à Xaverio poposcisse, dum ritu Christiano tingi, culpâque eximi primæva posset. Plus tamen Xaverium, quàm rogatus esset, præstítisse; problem enim vitâ donatam etiamnum vivere, quam ipse, ac mater beneficij memor, Sanctóque grati hodie ad ejus aram præsentâssent.

Annō hunc, quem diximus consequente, Clementis Suppani Lauffensis Conjux, itēmque Maria Schiganczia ē D. Martini ad Feistriczium parœcia, eodem se auctas beneficio, ope D. Oberburgensis memorant: nam partu se quidem feliciter defunctas, at fœtibus mortuis. Votis tamen Xaverio nuncupatis vitam, quam tunc cœperint, etiamnum vivere.

Annō MDCCXXX. Non absimile est beneficium, quod Gregorio Turnero ē parœcia S. Martini apud Vindo-Græciam contigit. Uxor ejus uterum ferebat, sed infelix nec partum ( quippe jam ante cu-nabula mortuum ) nec vitam sperare au-sa, nihilominus post hæc onere noxio ve-rius quām prole liberatur. In tres horas triste funus pueri jacebat, cùm mater spem sibi ē patrocinio Xaverii crescere sentiens, peregrinationem, si puer revivisceret, ho-stiāmque promittit ad aras Xaverii litan-dam. Ream voti continuò Xaverius fe-cit: ubi enim mater finem precandi fe-cerat, pusio vitam exorsus, Sacrōque de-hinc lavacrō tintus, valens vegetusque in cæterum vixit.

Ità opportunè parvulis hisce Xaverius adfuit, salutis alioquin exhortibus, si sua illos ope destituisset. Enim verò animas hasce innocentes Xaverii Zelò donatas voluit Numinis providentia, quarum aliæ Cœlis citò receptæ, illic agenti Cœliti grates dicerent; in terris aliæ ejus nomen ad posteros commendarent: ut adeò in Xaverium referri possit, quod Psaltes Regius ait: Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. \*

## C A P U T II.

*Alii quidam adultiores ope Xaverii à morte suscitati.*

**J**Am eos narrandò persequemur, qui paulò adultiores funesto casu extinti, in vitam deinceps ope Xaverii redierunt.

Annō MCCCXVIII. Filiam bimulam habebat Joannes Stockius, Sacelli tum Xaveriani ædituus, quæ ploratu inconsito spirandi sibi vim intercludens, ante parentis utriusque ora in mortuam corruit. Accurrunt plurimi, ac diu vestigant, si quod

si quō indicō vita se proderet , verūm omnibus diligenter inspectis , cūm nihil animæ reliquum in exangui corpusculo deprehenderetur , mortuam omnes conclamat . Pater prolis suæ charitate actus , funus filiolæ amantissimæ inter lamenta brachiis complexus , ad ædem Xaverianam rectâ contendit , ibi pro ejus vita apud Tutelarem loci acturus , spe simul certa freatus , non commissurum Xaverium , quin suis obsequiis in curanda Sacelli suppelleatile fideliter præstitis eam gratiam redde ret . Emensō . viæ mediō jam in conspectu Sacram ædem Joannes habebat , & fiduciam sibi crescere sentiens , vultu ad Divi Sacellum converso , quid , inquit , opus est S. Xaveri , onus hocce tuis ædibus inferre ? huc etiam oculos de Cœlo advertas , spiritumque huic parvulæ reddas , licet . Votivam tibi Missam , si exaudias , ac tritici medimum mœstus filiæ pater pollicetur . Mirum dictu ! parvula inter brachia gestantis continuò moveri , ac spiritum ducere : quam pater solatiō totus diffluens domum festinus reportat , ac matri stupore attonitæ vivam reddit . Pro-

digium

gium manifestum totâ latè viciniâ concla-matur, valuitque ea res ad ingerendum animis illorum Numinis timorem, ac re-verentiam, vitæque rationes ad recti nor-mam exactius conformandas.

Annô MDCCXIX. Triduum ex par-tu laborabat in parœcia Aicensi mulier, Maria Wukhia, cùm votis Xaverio nun-cupatis, illi quidem uterus solvitur, sed ipsa tertium deliquescens novissimè ani-mam egit. Oritur continuò inter adstan-tes comploratio: at maritus non mulie-bres fletus, & inania lamenta, sed pre-ces mortuis proficuas inferens, monet pro defuncta orare. Erat in corona adole-scens annorum admodum 16. Mariæ de-functæ frater, qui quoniam devotionis causâ Oberburgum sæpè adiérat, multa etiam narrandô accepit, quanta eò loci in vulgus mira Xaverius patraret. Hortat-ur ergo præsentes omnes, piam ut pere-grinationem ad eas Sancti ædes voverent; spem sibi certam esse, Xaverium eas pre-ces irritas esse non passurum. Vovetur communis supplicatio, & Maria secun-dùm hæc magno stupore omnium revixit,

hodié-

hodiéque Cœlitem piis obsequiis prolixè  
veneratur.

Annō MDCCXX. Jacobo Jurczniko  
octēnis erat filia, quam morbō absumptam,  
ac integrō jam noctis spatiō exanimem  
mœstus pater lugebat. Xaverio tamen  
cūm séque, ac orbitatem suam Jacobus  
commendāsse, puella rediviva oculos at-  
tollit, manéque ejus diei de lecto, in quo  
jacuerat, quām si nihil passa esset, prom-  
ptè consurgit.

Plūs admirationis habet, quod eodem  
Anno in vico Capellensi accidisse memo-  
rant. Ibi pagani hominis (Mathias Bisher-  
nekus dicebatur) filiolus novem non  
plūs menses natus, morbis haud levibus  
carpebatur. Initiō námque vocem multa  
illi tussis, postremō gravior phrenesis spi-  
randi facultatem sic intercluserat, ut ho-  
ram integrām sinē motu exanimis jaceret.  
Pater salutem filii Xaverio commendans,  
Thaumaturge inquit, Xaveri ! qui o-  
mnes audis, nec vota precantium respuis,  
hunc tu mihi quæso filium meū vivumes-  
se ut velis, rogo. Exempli puer indiciō  
vitam confessus, sed paulò pōst violentiâ  
malī

mali in priorem agonem rejectus, iterum moritur. Mors hæc altera nihil jam spei reliquum mœsto parenti facere videbatur. Quare ad præsentes conversus, quid, inquit, frustra obnitimur? funus esse oportet hunc filium meum; necessaria in hunc usum funebria comparemus. Sentit tamen inter hæc novâ se fiduciâ erigi; ut adeò Xaverium denuo compellans, opémque ejus enixè implorans, promitteret voti causâ se puerum, si viveret, ac sospes esset, ter secum ad ædem Xaverii in Comitatu matris deducturum. Non distulit Divus audire; & puer tunc vitæ redditus, hoc anno primùm à parentibus Xaverio pro ejus ara est præsentatus.

Annô MDCCXXI. Rem quoque in paucis memorandam Sacerdos, Parochi Schwarczenbacensis adjutor narravit. Vas XXX. amplius urnarum capax, idque viñô tum refertum, ex improviso in Matthæum Mariæ Janschiziae Schwarczenbacensis fratrem incubuerat, hominémque toto pondere sic oppresserat, ut quasiato penitus corpore, ossibúsque fœdè commutatis vas ipsum in partes dissiliret. Animam

mam Matthæo elisam, eorum, qui aderant, dubitabat nemo. At soror ejusdem Oberburgensi Cœliti, quem extremis quibuscum casibus adjutorem esse famâ acceperat, fidere certa, se pro Matthæo devotionibus obstringens, opitulatricem Cœlitis manum homini miserrimo rogat adesse. Secundum hæc vota Matthæus, quasi flabro mollis auræ in vitam animatus, sibi constitit: inde non plus octidui spatiò, arcana illi manus malum omne correxit, ipsèque carnem, ossa, cutem, cæteraque omnia sanus apparuit.

Per idem tempus in Carniola superiore Jacobus erat Omota Cisnerensis, cui filiolum XVIII. admodum mensium in flumen foram delapsum, aquarum vortices in molendini rotas impegerant, spirituque eliso, pueruli cadaver Wolffsdorfium usque deportârant. Parentes, quid filio factum sit, intellectò, promissa peregrinatione Oberburgensi commendare illum Xaverio maturârunt. Inde Pater anhelus accurrit, & charissimam prolem in ripa fluminis jacentem procul intuens, iterum Xaverium de reddenda filio vita, inter

inter suspiria ac gemitus appellat. **Va-**  
**luêre eæ Parentis pro filio preces:** nam  
 puer oculos paulatim cœpit attollere , &  
 genitori propinquanti arridere : quem Ja-  
 cobus actis prolixè Xaverio gratiis domum  
 cum gaudio reportavit.

Annô MDCCXXII. Filiola fuit Mar-  
 ci Zingelei Rechbergensis, quæ nescio quo  
 adverso casu secundùm præcordia quassa-  
 ta, jam tribus continenter horis sinè mo-  
 tu jacebat, ne quis eam mortuam dubita-  
 ret. Parentes, quodd in humanis nihil es-  
 set, ad Cœlestia præsidia poscenda con-  
 versi, nuda genua in preces flectunt, so-  
 lóque submittunt, postulantes à Xaverio  
 eam gratiam, ut filiæ vitam redintegraret.  
 Rediit puellæ vita, & parentes Xaverium  
 venerati, deinceps etiam colere perrexer-  
 runt.

Ad S. Viti supra Labacum Domini-  
 cō festum Ascendentis in Cœlos Domini  
 præcedente, Gregorii Lenarczhizi filia  
 duodennis flumine hausta, impetu aquæ  
 decurrentis ad Molendini rotam appelli-  
 tur, cui implexam hærere, sistente cur-  
 sum rota, necesse fuit tamdiu, dum mo-

litor levandæ per se rotæ impar , ac suppetiis rogandis viciniam concursans , post horæ spatium cum pluribus reverteretur . Exempta demum est aquis puella , atro sanguine vultum suffusa . Sed nimirum non diu mortuam parentes planxere ; quando Xaverio votis conciliato puellæ vita postliminio rediit .

Hoc pariter anno funestus casus Jacobo Sernuo apud Labacum superius incolenti filium ademerat . Hunc Pater diu frustra vestigatum , conjectit denique ex vestigiis , quæ in flumen directa erant , aquis haustum interiisse . Pertentato circum flumine mortuus novissimè reperitur , sed atratus , & toto jam corpore luridus . Hic matrem pueri intima commiseratio tangebat ; eaque propter oculis inter lacrymas natantibus Cœlum intuens , magna voce Xaverii in miseros beneficentiam tot jam exemplis testatam implorat . Audisse Xaverium eventus probavit ; & puer exemplò redivivus parentes incredibili solatio affecit .

Annum agebat Octavum decimum  
Joannis Gomani è parœcia Capellensi fi-  
lius ,

lius, quem in rapida vectatione, dorso, quem insidebat, equi excussum, vehiculi rotæ per corpus jacentis ætæ tam misérè affecçere, ut animam cum sanguine exturbârint. Ubi patris ad aures tristis rei fama pervenit, iste Xaverium invocat, quô factò adolescens à funere reversus, hodiéque ejus facti gratiam gratus cum patre meminit.

Annò MDCCXX. Haustam undis rapacibus bimam prolem Ursula Drishekia deplorabat, ac triste funus inter inutiles questus solidam horam contemplata, atque ad Xaverium deinceps conversa, votet, si proles sibi redderetur, devotionis se causâ Xaverium Oberburgi adituram, Missámque ejus honori per Sacerdotem curaturam. Nec pluris stetit parvulæ in columitas, quæ redeunte confessim vita, matri suaviter arridens incredibili eam lætitia cumulavit.

Annò MDCCXXIV. Feriæ agebantur Pentecostes, quando Georgii Schmukii è parœcia Labaci Superioris filiolus septennis cum æqualibus lavandi causâ flumen ingressus repente subsidit. Advo-

Ant curriculo ad parentem socii , edocent natum aquis haustum interiisse. Jam hora labebatur , quod puerum aquis consepultum vestigans solicite pater denique deprehendit. Ergo inde sublatum , prodigiis , quæ Xaverius ad id temporis in simili patrasset , fiduciam addentibus , Sancto , quem dixi , ardentiissima prece commendat. Postea ubi suscepto brachiis filii corpore , domum Georgius rediit , animadvertisit paulatim incalescere puerum , spirare denique , ac de integro superstitem esse.

Annô MDCCXXVI. Aliam aquis præfocatam vitæ Xaverius mirabiliter restituit. Rem in hunc modum evenisse Pater , & testium complures è parœcia Craxensi jurejurando firmavere. Filiam habebat octennem Jacobus Globuschiczius , quam in præceps euntem flumen hauserat , ac molendini rota , ad quam appulsa est , solo firmiter attinebat. Cum puella post horæ circiter lapsum inde exempta esset , mater exsangue , ac miserè affectum corpusculum intuita , tristi ejulatu aërem feriens , fœmineo more pectus plangebat.

Sed

Sed commodū tres ibi Cilleæ cives id temporis præterière , qui re intellecta fœminæ dolorem verbis lenire aggressi , hortantur opem à Divo Oberburgensi exposcere , de quo constaret , per hosce casus adversos sæpius opportunè in subsidium vocatum miseris afflictisque parentibus adfuisse . Nec mater voces eas bene monentium incassum auribus allabi passa , tripli- ci se se votō obstringit . Verum quod id fortasse diffidentius egit , Xaverius etiam tardare videbatur , donec fœminam novis spebus animatam , ac pristina vota repeatentem voti sui damnavit . Puella enim sub hæc subitò reviviscens , matrem ovantem ovans domum comitata est .

Eodem anno filia Jacobi Zhergovii Laytschensis semestri infantulo balneum apparārat , in quo pusionem ex usu lava- ret . Postea quodd matrem nescio quid negotii aliò vocaret puero hinc inde pulvinis suffulto , quodd adversus omnem casum satis protectum crederet , discedit ; sed paulò post ejus discessum solutis repagulis collabitur infans , mergiturque . Consilio in eum casum defecta matre , Ja-

cobus, qui ejus diei manc apud Xaverium in ejus æde Oberburgensi inviserat, circumstantes monet in genua procumbe-re, Xaveriique adjutoris nomen appella-re. Illis in Xayerii fidem se committere aggressis, Jacobus præterea votivam Mis-sam ac peregrinationem spondet. Nec diu factum, quodd puer à morte recens novum cœpit spiritum ducere.

Alia res dictu sanè memorabilis per hunc eundem annum MDCCXXVI. accidit, quam R. D. Martinus Grattnerus cooperator Watschensis, ejus rei, cùm gereretur, de visu testis publicè pro Con-cione Oberburgi narravit in hunc modum evenisse. Fortè in arborem ascenderat pa-ganus homo loci ejusdem incola, cuius nescio rei perficiendæ causâ. Sed fronda-torem incuriosius agentem acerbus sanè casus deprehendit. Vestigio námque fal-lente ex alto delatus in præacutam sedem impingitur, sic ut adacta secundùm tem-pora cuspipe miserrimè affectus, avelli inde nisi relicta parte laceræ carnis non potuerit. In tanto periculo Sacerdotem cæteri inclamat, sed scilicet accurrens

Coope-

Cooperator vixisse jam hominem deprehendit. Ergo uxorem illius immaniter ejulantem cum solari aliter haud posset, adstantes rogat, ut secum nonies orationem Dominicam, ac Virginis Salutationem honoribus Xaverianis recitarent; spemque simul ingerit fore, ut Xaverius, qui tot in extremis rebus præsentaneam opem alias tulisset, illam ne hoc quidem rerum articulo negaret. Consilio hominis collaudato terræ confessim omnes genua submittunt, ac prouti res poscere videbatur, preces ardenter fundunt. Mirum ingens! nondum integrè illud orationis pensum decurrerant, cum homo cœpit manifesta vitæ signa præbere. Id otii nactus Sacerdos, quodd provicturum desperârat, mysteriis, quibus in extremam luctam assolet, properè communit, de cætero ad mortem constanti animo ferdam hortatur. Sed nimirum insigne hic facinus Xaverius patravit: Colonus enim Cœlesti medela confirmatus ita cœpit valere, quam si nunquam laborasset.

Annō MDCCXXVII. Ad diem Sextum Idus Junias Matthæus Coreninus vo-

tivam tabellam Labacô attulit, quam soror ejus ad rei testandæ memoriam dedicavit. Habebat hæc in deliciis filiam, triennem pupam, cui per imprudentiam in præaltam cisternam præceps eunti non nisi post dimidiæ horæ spatiū succurri potuit. Inde gelidam ac sanguine caſſam cùm eduxiſſent, mater cæteros, ut idem facerent, hortata, de genibus Xaverio supplicat, vellet ſuas ſibi delicias redi, quas omnes cum hac filiola amififfet. Nec prius deſtitum eſt orari, quām puella ſpiritum reciperet, ac de integro fana coram omnibus conſurget.

Skoruzhna vicus eſt non longè à D. Agnetis fano diſſitus, unde Oberburgum veniens Joannes Schlapus Magister molendini, quatuor aliis teſtibus eadem affirmantibus, juratus dixit, vicinum ſuum, dum nocte præter molam graditur, errante gressu prolapsu, aqua fluminis ferente, ad uſquè rotam defluxiſſe, ſiftente deinceps molari lapide, cùm procurreret molitor viſum, unde rota adhæresceret, hominem videt, cui pedes in altum subrecti, cervix capitis ad imum ſolum depreſſa

pressa rotam attinebat , ne porro moveretur. Vicinia homini concursanda erat , rogandæque suppetiæ , ut mortuus inde nisi longo pōst tempore eximi non potuerit. Inter hæc venit illis in mentem Xaverio vicinum suum commendare , si qua vitæ gratiam illi faceret , quam dudum tot aliis præstitisset. Communi voto Oberburgum pia peregrinatio decreta est , & homo occisus revixit , qui postea confessus est , salutem suam in eo lapsu se Xaverio commendâsse.

Annō MDCCXXIX. Dorotheæ Gergmanziæ è commenda D. Petri in Carniola filiolus erat bimus , qui sororis incuria in altam Scrobem delapsus inter undas ibi stagnantes præfocatus fuit. Puerilla quām ejus periculi improvida , tam pueri funesto casu externata , nec matri rem manifestare ausa pertinaciter filebat. Seu tamen matri prolis absentia , seu vultus filiæ pavorem non celans suspicionem mali moverit , vestigante sollicitè matre , ad extremum puer in ea , quam dixi Scrobe mersus reperitur. Hic continuò parenti pietas pectus everberare , mœror lachrymis oculos

Iamentis ora replere : sed nimirum his nihil profcientibus , Oberburgensem Cœlitem afflcta parens precibus adorta , spondet pia peregrinatione suscepta puerum à se , si ab eo funere superstes esset , in ejus æde præsentatum iri . Jam autem ubi his votis se fœmina obstrinxit , ecce tibi micare venæ sub palpebris incipiunt , puérque hauustum cum aqua arenæ glaream copiosè regerens , sanus integérque assistit . Dorothea secundùm hæc votum exequitur , neque tamen filiō comitata ; quod sibi Xaverius displicere ostendens , matri alium metum incussum , siquidem illa domum rediens puerum deprehendit graviter ægrotare , quod suâ culpâ fieri mater sentiens , placare Xaverium votō geminatō institit , quod fideliūs post hæc executa , admissum priùs errorem sanè correxit .

Annō MDCCXXX. Alium undis hauustum Xaverius mirabiliter hoc anno vitæ reddidit , puerum novennem è parœcia Oberburgensi . Puer Franciscus , pater pueri Michaël Schmauzius dicebatur . Huic aliquando pontem ingresso , filio  
ponè

ponè comitante, evenit, ut puer in flu-  
 men præceps iret, quod infrà labebatur.  
 Undis puerum miserè volventibus, pater  
 opem ferre festinus, initiò secundùm ri-  
 pam properè consequi, inde in alveum  
 aliquoties se inferre. Verùm quòd aquæ  
 tunc increverant, atque alicubi à littori-  
 bus abundabant, ipse suo capiti pericu-  
 lum creavit, quod invocatò tamen Xave-  
 riò feliciter exiit. Igitur infelici puero  
 pereundum erat priusquam advocatis sup-  
 petiis inde liberari posset. Novissimè ta-  
 men extractus, sine vitæ indicio, mem-  
 bráque omnia rigidus jacuit. Os ad hæc  
 tam pertinaciter clauserat, ut recludere  
 conantium industriam omnem vinceret.  
 Mœstus pater, collacrymánsque, cùm ni-  
 hil opis in naturæ præsidiis esse cerneret,  
 Xaverium in hæc verba compellat: Xave-  
 ri Sanctè! meus hic, aut tuus, verius di-  
 cam, filius ( tuo quippe nomine eam ob-  
 rem insignitus, quòd te potissimum opit-  
 tulante, in lucem editus, conservatúsque  
 est ) vitam, quam tantis auspiciis cœpit,  
 enfatò tam miserò terminavit! sed quæ-  
 so te Xaveri! DEUM modò precare pro  
 vita

vita hujus Francisci tui , ut altero hoc beneficio tuo auctus , te Patrem nunquam meminisse desinat . Ad ædem tuam , si me audis , piè invisam ; útque Divina hostia pro tuis litetur aris , curabo . Peracta in hunc modum oratione , cæteris , qui adstabant , in eventum avidè intentis , confessim puer motu , ac suspiriò vitam confessus , undas , quas hauserat , cœpit reciprocare . Inde in somnum deflexus , placidèque eam noctem dormiens , alterius diei mane vivus , ac virium robore valens apparuit . Pater verò solvendi voti causâ ad ædem Cœlitis ocyüs accurrit , gratûsque perinde ac hilaris insigne beneficium prolixis laudibus commendavit .

Annô MDCCXXXI . Sed ista , quæ adhuc de mortuis in vitam ope Xaverii revocatis memoravimus , ille concludat , quem morti Xaverius ter eripuit : hoc est bis à certissimo vitæ discrimine defendit , extremò pro vero defunctumvitæ prorsum vindicavit .

Est in parœcia Pleyburgensi haud magni nominis vicus , quem incolæ Moschizium dixeré . Hic Kivo quidam Ale-  
xius

xius uxorem habebat , quæ partûs difficultatem per multos dies experta , non longè ab interitu jam aberat . Magna quippe virium defectio , corporisque iis laboribus conflictantis debilitas exitium illi proximum fecerant . Idem proli periculum timebatur , nè ipso in utero extinta , ceu vivô tumulô funus conderetur . Xaverius tamen ei rerum articulo opportunè adfuit , qui voto visendi Sacri loci conciliatus , Matrem , edita feliciter prole , periculi omnis securam fecit . Multo post hæc tempore cùm idem pusio spicam de manipulo silagineam glutisset , ea pestis sic omnem respirandi viam obsederat , ut adeò nequiret animam reciprocare . Manifestum erat periculum , & infans tetro sanguine vultum infusus , confestim moriturus timebatur . Maturavit mater ejus salutem Xaverio commendare , precata , quam semel donâisset luci , porro illam in tempus serum servaret . Eo temporis momento ab imo gutture spica prorupit quam cruris aliquot guttae secutæ sunt ; infans verò eatenus incolumis tertio beneficio servata est , quo Xaverius clientem suam

sibi

sibi planè vindicavit. Nam menses aliquot abierant, cùm nescio quo malo tentata ejus valetudo denique pessundata, & infans jam spatiō horæ integræ nullum animæ præsentis indicium dedit. Hic verò mater Xaverium ferendæ opi vocare jam assveta, quod aliàs se promptè auditam meminisset, votis se iisdem, queis priùs, obligat, ac planè fiduciam capit, non passurum Cœlitem, ut frustra rogatus videretur. Et verò non fefellit: nam modicō temporis intervallō proli vita, proles parenti restituta est.

### C A P U T III.

*Periclitantes de vita per Xaverium servati.*

**E**A quæ Divus Oberburgensis mira gessit in revocandis ad vitam mortuis executi, commodū de iis agemus, qui eodem Cœlite tanquam sospitali genio usi sunt, ne in manifesto vitæ discrimine positi, per diversa genera mortium absumerentur. Nec minùs fortasse mirum sit quan-

quanquam non ad opinionem vulgi ) animam jam jam è corpore fugientem sistere, quam eos, qui vitam antea exuerint, denuo vitales esse.

Cæterum in hoc quoque genere permulta Xaverius mira edidit, Divinò plerūmque Sacrificiō provocatus, quod ii, quos periculum deprehenderat, ad ejus se aram curaturos promiserunt. Et verò compertum habemus, Xaverium olim, cum adhuc mortalis esset, multa Cœlestes rogare solitum, sponsione ejusdem Sacro-Sancti Sacrificii abs se se perficiendi. Si quod ipse periculum exire, aut cœno vitorum harentem quempiam eximere, aut aliud quidvis grandioris moliminis ex voto perficere peroptaret, illud imprimis solemne habuit, Divinam rem aliquoties à se faciendam huic illive Sancto polliceri; satisque constat nunquam non Cœlitus esse auditum. Eam ob rem jam ipse inter Divos agens, facilem se iis exhibere pergit, qui suos olim mores eatenus querentur. Sed jam ad eos, quibus, de pulsō periculō vitæ gratiam Xaverius fecit.

Annô MDCCXVII. Marina Litos-  
chniczia jam aliâs per tempora partûs gra-  
viter laborare, nec expers periculi esse  
solita, dum uterum hoc anno in mensem  
non plûs tertium gestat, ægrotare haud le-  
viter cœpit. Auxit id malum sanguis im-  
modicè effusus ( in nonum jam diem ju-  
giter promanabat) nec nostris artibus si-  
stendus. Hic illa remediis ab humana  
industria desperatis, Cœlesti medico Xa-  
verio uti constituit, cujus ad aram, cùm  
Sacram fieri rem continuò demandâset,  
nondum ab aris Sacerdos discesserat, cùm  
stetit contumax sanguis, & ipsa fœtum  
enixa est immaturum quidem illum, at  
contra spem omnium tamdiu vitalem, dum  
Sacro Christi fonte lavaretur.

Annô MDCCXVIII. Uxorem An-  
dreæ Kossi dolores inter parturiendum ex-  
tremè affecerant, sic, ut de vita ejus cæ-  
teri conclamarent. Succurrit laboranti se  
in tutelam Xaverii commendare, additô  
votô, curandæ ejus honoribus in æde sua  
Missæ. Quàm opportunè id consilium  
cœperit fœmina, eventus probavit, quip-  
pe eadem hora, nihil jam dolens, obste-  
trice

trice ne quidem sentiente , prolem ef-  
fudit.

Ann̄e MDCCXIX. Præacutum in  
cibo ossiculum glutierat Andreæ Mazhikii  
Steinen sis proles , quod inter faucium hæ-  
rens angustias nec spiritum ducere , ne-  
que jam ductum eluctari inde sinebat. Il-  
lico misera atro sanguine vultum induci ,  
ac manifestis cœpit indiciis suffocari. Pa-  
ter ut laboranti suppetias iret , Xaveri-  
um de ope ferenda his brevibus volebat  
appeilare : *Sancte Xaveri ! veni , opitulare.*  
Sed scilicet nihil adhuc præter vocem *San-*  
*cte* ediderat , ossiculi tamen fragmen spon-  
te avulsum eo momento infans in matris  
gremium egessit.

Per ejusdem Anni tempus haurien-  
dæ frigidæ causâ è molendino prodiérat  
puer Ursulæ Soleikhiaæ Gotulensis , sed  
quodd in rivum incautiū se flexerat , tra-  
hente corporis mole subvertitur , & aquæ  
impetu devolutus in currentem rotam re-  
ctè insertur. Mater ex crepitu dissilientis  
urcei , quodd res erat , ominata , Xaveri-  
um inclamans è mola procurrit , visura  
quid filio fieret. Ecce autem nihilð læ-

sum puerum è fundo gurgitis infra rotæ tabulas emergentem aspicit. Quæ illi res èd plùs miraculi habere visa est, quòd rotæ non plùs duos digitos supra fundum eminente, necessè fuerit puerum æquè, ac urceum quassari, nî vocatus opportu-nè Xaverius affuisset.

Annô MDCCXXI. Dum Oberburgensi in clivo ædes amplior Xaverio struitur, vectores rustici binas ingentes querulus adegerant; sed vehiculum ex improviso eversum, in unum quempiam vectorum incubuit, hominémque extremè affecit. Socii confestim in genua erectum hinc atque inde succollantes, hortantur fiduciam capere, ac Xaverium appellare, auditurum certè preces, quando illius honori in præsens laborâisset. Nec ille cunctatus orat, rogátque Xaverium, vellet eam gratiam qualicunque obsequio reddere, quòd ipse in præsens libenter præstitum multò amplius effet præstaturus, si convalesceret. Hic enim verò Xaverius nihil cunctatus consanatô, sinè mora rusticô illos, qui aderant, viderántque, stupore primùm defixos, multâ demum lætitia hilaravit.

Annô

Annō MDCCXXII. E vico Trifalen-  
si rusticus puer Thoma Gemersco natus  
expertus est salutarem. Nam is agrestem  
occām ferreis cuspidibus horrentem , dum  
seu non satis advertit , seu imprudentius  
tractat , illa gravi illapsu multis confo-  
ssum vulneribus humi sternit , ut moritu-  
rus in vestigio putaretur. Valuit tamen  
Xaverii invocatio ab hoc illum periculo  
absolvere , & ipse non multis pōst diebus  
viribus integer , nihilque tum læsus Ober-  
burgum venit , Cœlitique grates pro eo  
beneficio prolixè memoravit.

Annō MDCCXXIV. Mariam Mar-  
tinckiam infeliciter nitentem octavus jam  
dies miserè habebat. In eo nixu , cum na-  
tura succumberet , ex ritu Christiano præ-  
sidiis morientium procuratam , precibus ad-  
jutum ire , qui ponè adstabant solicii Cœ-  
lo commendabant : at ipsa non se solam ,  
sed ipsam adeò secum prolem & funesti-  
ore quidem fato mori sentiens , ductis ab  
imo pectore crebris suspiriis , imperata eti-  
am re Divina , quæ pro aris Sancti fieret ,  
Xaverii opem provocare tentavit. Nec  
suæ illam spes frustravere : sub ipsum tem-

pus , quô Sacra fiunt , valentium trium  
prolium felix mater effecta , omnibus stupo-  
re defixis periculum omne abstesit .

Annô MDCCXXIV. Adversus Bar-  
tholomæum Windizium apud parœciam  
D. Georgii incolentem pro Angelo se Xa-  
verius gessit , functus eo ministerio , quod  
Cœlestibus illis Geniis Sacræ litteræ affi-  
gnant . Necessè habebat Bartholomæus  
per flumen Cancarum iter Kreinburgum  
versùs intendere ; verum id temporis aquæ  
fluminis per multam pluviam tumescen-  
tes , sublicas pontium alicubi dejecerunt ,  
ut viis infuetis coactus fuerit Bartholomæ-  
us per proxima flumini saxa reptare . In  
eo molimine , dum in altissimam petram  
eluctatur , fallente illum vestigio , casus in  
profunda præcipitem dedit . Atqui ille  
inter cadendum præsens animi , non omit-  
tit Xaverii utilem è loci opem exposce-  
re , séque ac suam salutem in ejus tutelam  
commendare . Fit continuò ut Bartholo-  
mæus sensuum impos , quid circa se agere-  
tur , tamdiu non adverteret , dum illum  
arcana vis in planissima via destituisset .  
Tunc enim verò sibi redditus , virésque ,  
num

num stando, ambulandoque habiles essent,  
experiens , cum utrumque se posse ani-  
madverteret, simul agnoscit, Xaverio de-  
portante, magnam se partem itineris retro  
reliquisse.

Annō MDCCXXIV. Adolescēbat in  
spem patris Eranciscus Nicolaus octo jam  
annos natus , filius viri nobilis , Friderici  
Hobelnikii , Fallensis Dominii Præfecti.  
Deliciæ parentis utriusque puer erat; mi-  
nimō tamen minus abfuit, quin eas im-  
prospera fors interciperet, parentésque in  
mœrorem gravissimum daret. Jam vespe-  
re plaustrum agebatur per domūs aream,  
onustum fimo , cui juga boum bina præ-  
junxerant. Huic dum incautus adstat pue-  
rulus , repente humi sub ipsum vectabu-  
lum sternitur, ac rotæ per tenerum pectus  
actæ quassatis præcordiis , tergum præte-  
rea ita affligunt, ut sanguine ubertim pro-  
rumpente , mirum esset animam puero ,  
quanquam semineci, superesse. Postquam  
humana subsidia defiebant, quæ tantum  
periculi vincerent, parentes Xaverio sup-  
plices facti, orant enixè, vellet suis ad DE-  
UM precibus fugientem animam morari.

Exinde puer meliusculè habere quidem, gravi tamen respirio, mors in momenta expectabatur. In hunc modum semi-vivus ille ac semi-nex ad diem tertium durabat, cùm pater nocte illum diem excipiente, videre sibi per somnium visus est filium in hortulo oberrantem. Eò visò animis pater auctus, opem Xaverii porro implorandam decernit, adjunctaque sibi thori socia in templum progressus, inter Divina, quæ siebant, Mysteria Divo salutem filii sollicitè commendat. Ecce autem, ut domum parentes redière, filium reperiunt in viridario obambulantem, sibique mox obviam progredientem cum dicto: se quidem optimè valere. Quem mater, patérque effusè gestientes complexi, cùm inspexissent, nulla uspiam parte læsum deprehendêre.

Alterum vulnus neque id minus periculosum altero pòst anno Divus hic Noster medicatus est. Urbanus Dimiczius Aicensis inimicò telò per tergum appetitus atque transfoissus est, sic ut suum ipse vulnus in pectore aspectabile haberet. Nec erat in arte Chirurgorum quidpiam, ex quo illi aliqua spes salutis commoda ostendi

di posset. Ergo medelam , quam ars humana ferre nesciret , è Cœlo petendam ratus , Xaverium hisce extremis casibus saepius salutarem votis conciliare perrexit. Promittit si ab eo vulnere consanetur , novem se dies Xaverio Sacros habiturum , iter etiam ad ædem Cœlitis suszepturum , ac rem præterea Divinam curaturum. Ut primum Urbanus his se votis obligavit , periculum evanuit , ac subinde melius atque melius se habere persentiscens , nullo ad extremum neque malagmate , neque unguentis adhibitis mirè convaluit.

Annô MDCCXXIX. Faifriczium Inferioris Styriæ oppidum fœminam alebat Teresiam Rebeuschiciam , quam hebdomadis quatuor è maculis pestilenter febrentem ( petechias Itali , alii febrim purpuram nominant ) omnis in eo periculo medicorum ars , operaque deseruerant. At posteaquam votum de peregrinatione ad Oberburgensem ædem , ac dedicanda ibidem tabella edidisset , per mortem salus ad desperatam rediit. Quare mane de lecto assurgit , & medicis juxta domesticisque oppido admirantibus revivisicit.

Mirabilius est, quod per ejusdem anni tempus Matthæo Schindaro alicubi accidisse narratum est. Piscatoriam is faciebat; & suæ hic prædæ aliquando intentus, dum currentis alvei repagula saltu tentat transcendere, in extantis stipitis acutam cuspidem illatus, ac juxta collum periculosè transfixus, sic, ut erat, pendulus hærebat, quin se juvare miser aliqua ratione posset. Jam extrema se deliquia, defecūsque animæ insinuaverant, ipséque summos inter dolores mortem certissimam operiebatur, cùm in tanta necessitate Xaverii, quem Oberburgenses colerent, recordatus, opem eð rerum articulð sibi à Divo ferri precibus calentissimis rogat. Spondet vicissim, si propitium experiretur, non omissurum se ejus ædem inviserre, atque eám gratiam actis prolixè gratiis redhibere: Continuð factum, ut hominem occulta manus tantùm attolleret, quantum satis esset, ut ipse jam se se ab ea furca explicare posset. Sed restabat immane vulnus, quod ipsum tamen invocatð rursus Xaverið in cicatricem denique coaluit: quam ille, ubi ad diem quartum  
Decem-

Decembris Oberburgi adfuit, secundūm preces Numini Xaveriōque fusas, multis inspectare cupientibus exhibuit, Divique potens patrocinium ampliter, ac sincere laudavit.

Annō MDCCXXX. Rieczium vicina est Oberburgo paroecia, unde parentes prolem Xaverio, quam consanaverat, stitēre. Hæc mensium non plus quinorum, violenta phrœnesi agitari cœpta est, ut ad extremum instar mortuæ per semi-horam jaceret. Parentes, ne prolis charæ jacturâ longius mœrerent, peregrinaturos se, ac novendium Xaverio Sacrum habituros spoondere. Voti reos Xaverius continuò fecit, cùm modico post intervallo infans ad stuporem præsentium convalescere, ac nullis iisdem injuriis postea violatus, plenissimè sanus esse perrexit.

Joannem Kumerum Sacerdotem, Parochi ad D. Laurentium infra Petovium adjutorem, Græcii Styrorum Urbe maligna febris ad extrema deduxerat, Medicis severam de ejus vita sententiam pronunciantibus. At virum in eo discriminatione non æquè consilium, ac vires defecē-

re: quam multis enim prodigiis per eas regiones Xaverius clareret, opportunè reminiscens, fiduciam quamvis extremis rebus concipit, séque, ubi eo malo defunctus esset, visurum Oberburgi apud Xaverium promittit. Ab eo voto non modò hominem respicere sanitas cœpit, sed virium robore penitus valentem postridie multi viderunt ad suos, Conavizium suis pedibus abscedentem.

Annô MDCCXXXI. Ad redhibendam gratiam, quod vitam servâisset, quam quatuor peritissimi Groænrium Medici desperaverant, Oberburgi Xaverium Sospitalem veneratus est Antonius Stupanus Ehrenstænius, Regiminis Interioris Austriae Consiliarius. Quod alii complures Viri Nobiles, ob impetrata beneficia, Graciô, Labacô, aliisque urbibus venientes fecere; quorum, nè prolixiores simus, hic satis sit meminisse.

Annô MDCCXXXI. Dudum sibi sospitalem esse in partu Xaverium aliàs experta est Anna Pruckeria, tum maximè hoc anno, quô tribus ante partum hebdomadis periculosè tumescens, infanis ad hæc

hæc doloribus carpebatur. Xaverio tamen suo fidens Sacrificia aliquot ad ejus aram curanda pollicetur; statimque tumor evanuit, integrasque successit.

Goritiæ, dum socios per rixam coortos tentat dirimere, lethali ritu pugionis transfoditur Jacobus Pockius Scriniorum faber. Et quia gladius quem percussor adegit, trinam aciem habebat, ad hæc vulnus inter ipsa præcordia datum erat, vulgo id insanabile ab omnibus pronunciatum est. Suadetur illi nihilominus, uti se, ac valetudinem Xaverio commendet, benefico alioquin opitulatori, ac per ea pericula prompto. Nec fuit consilium hominis in eo casu tardare, quippe qui intelligebat, si incolumis esse cuperet, auxilia sibi à Cœlo poscenda, quæ ars humana desperasset. Ergo voto de profectione suscipienda, ac novem diebus solemni ritu celebrandis emissò, opem expectabat sibi à Xaverio tribuendam, Hanc vero Divus ratione illi planè insolita impendit, quando sanguine, eoque copioso ( cui emittendo vulnus idoneum non erat) per vesicam mirabiliter deducto, Jacobus ad diem

diem quartum Decembris periculi , ac no-  
xæ omnis expers Oberburgum veniens  
(magno stupore multorum, etiam Sacerdo-  
tum , quibus suum ille vulnus exhibuit )  
Xaverii potentiam magnis laudibus or-  
navit.

Eodem anno MDCCXXXI. Gemi-  
num priori beneficium sibi à Xaverio præ-  
stitum confessus est Martinus Rosmanus  
lanius Marburgensis. Hunc iter aliquan-  
do agentem sicarius ex insidiis petens, cru-  
deli à tergo vulnere fauciatum humili-  
nit, ut læsus actum de se existimans, Ec-  
clesiæ Mysteriis in luctam ultimam corro-  
borari exposceret. Subinde tamen mens-  
te recolens, quam potens olim Xaverii  
Patrocinium expertus esset, cùm è domûs  
scala in profundum delabenti, eoque ca-  
su herniâ affecto præsentaneam opem Di-  
vus tulisset, ejus rei memoriâ multum  
corroboratus, hic denique spei suæ ancho-  
ram figere denuo decrevit, votisque ite-  
ratis sibi Xaverium demereri. Et verò hoc  
hominis in se studium Divus probavit,  
quando in ejus corpore paucis post diebus  
vulnus omne deletum est.

## C A P U T IV.

*Compluribus cœcis per Xaverium lumen  
oculorum redditum.*

Quod in Divinis litteris legimus fuisse apud Hierosolymam olim piscinam in consanandis variè affectorum morbis admirabilem, ut ea propter magna languentium multitudo, cœcorum, claudorum, aridorum, aut aliâ quavis ærumnâ conticantum eò se aut inferret, aut inferendam curaret; id in sedem gratiarum, quam sibi apud Oberburgensem fixit Xaverius planè convenire, jure quis affirmârit. Nisi quòd eas Palæstinæ undas missus è Cœlo Angelus uno tantum anni die, nec nisi uni misero consanando; Xaverius ædem suam Oberburgensem plurimis hominibus, ac per quotidiana propè beneficia salutarem effecit.

Signorum omnium id primum fuit, Gertrudi Strasnicziæ Oberburgensi, qua de suprà memoravimus, reddita sanitas, quo Xaverius mulieris oculos juxtâ ac eum locum mirificè illustravit. Hæc postea-  
quam

quam in somnis oculorum tenebras ope  
 Xaverii depulisset, per alias nihilominus  
 ægritudines templo se inferre prohibita  
 ad diem denique tertium nonas Januari-  
 as anni hujus MDCCXVI. illuc ingressa,  
 ut novas aras Divo positas, ejusque ico-  
 nem conspexit, lætitiam gestiens, hem!  
 inquit, eum hic ego Sanctum ex amissim  
 depictum intueor, qui nuper cœcitatem  
 mihi abstersit: hoc ille tum capillo; hoc  
 barbitio, hoc vestium genere, hoc vultu  
 mihi erat aspectabilis. Ea deinde, quæ  
 suprà meminimus, narrando executa, lau-  
 dabat Sancti benevolentiam, qui se fœ-  
 minam miseram eō beneficiō affecisset, an-  
 tequam is vel de fama vel de nomine sibi  
 cognitus esset. Cœterū is Sanctus be-  
 neficii apud fœminam potior fuit; quod  
 per oculorum aciem restitutam illabi eti-  
 am in cor radius Cœlestis visus est, ut vi-  
 tam exinde duceret longè emendatiorem.

Alter quem Xaverius Annō post al-  
 terō curārat, & ipse Oberburgensis erat  
 municeps, homo jam grandi natu, opifi-  
 ciō Sartor, cui nomen Joanni Koprivnicko.  
 Hic talis à prima statim pueritia oculos  
 non

non leviter indolens , senibus demum annis eō malō multō graviūs vexatus est , quando oculorum alteri tantus dolor infedit , ut ejus jaēturam præoptaret . Nec diu factum , cūm acies oculi tota victa est , dolore interea nihil remittente . Senecio eam carnificinam D. Commissario , suo Curioni amarē questus , de precibus monetur Xaverio per dies novem ea intentione animi recitandis , ut si visum esset Cœliti , non modō is oculorum dolor abscederet , annorum senium levamento , sed eorum alteri lux etiam deperdita rediret . Illo adhuc die , sub tempus vespertinum , quo preces ultimæ in templo Numinis fiebant , adest bonus Senecio , rogat Commissarium vellet in crastinum ad D. Xaverii secum comitari , atque ibidem rem pro se Divinam facere . Nondum eam petitionem senex planè absolverat , cum ecce is oculorum cruciatus momentō evanuit . Postridie vota sua apud Xaverium dependenti , operante ad aras D. Commissario , oculi plenissimè serenantur ; ut magnō ille gaudiō cum suo Curione viam remensus , gratularetur in Senio novum ocu-  
lis

lis lumen, quō minimos etiam lapillos  
per viam sparsos ità numeraret, ut nus-  
quam hallucinaretur

Annō MDCCXX. Apolloniæ Foig-  
tiæ uterque oculus defluxerat, ut cœcam  
se toto jam triennio mœreret. In eo lu-  
ctu, dum malo suo remedium meditatur,  
novissimè placuit Xaverio supplicem fieri,  
atque illas oculorum tenebras deprecari.  
Igitur Oberburgum cùm venisset, votis,  
quibus se innexuerat, religiosè persolutis,  
IV. Nonas Maji lucem denuo aspexit, ef-  
fusè hilaris, ac Xaverii beneficij prolixè  
memor. Rem miram, quam modò narra-  
vimus, mulieri accidisse, testimoniod suò  
plures, intérque eos ipse D, loci Commis-  
sarius, qui eam cœcam nôrat, & viden-  
tem viderat, firmavêre.

Per mensem Augustum ejusdem  
Anni MDCCXX. Margaretha Lanzhar-  
czia unà cum matre jurata dixit, sibi an-  
norum Sex cœcitate laboranti, ac Ober-  
burgum deprecandi Xaverii causâ veni-  
enti, depensò votô, in ipso, quo precata  
effet, loco pristinam oculorum lucem  
postliminio revertisse.

Peregrinationem Oberburgensem  
voverat Gertrudis Oswaldia è paræcia  
Zhemischenicensi, si filiolam suam Apol-  
loniam bienniô jam cœcam Xaverius re-  
spiceret, oculorūmque orbitatem ab ea  
amoliretur. Respexit Xaverius, & amo-  
litus est: Sed mater non æqué exequendi,  
ac promittendi studiô prompta, id itineris  
ad pia loca suscipiendo in longum trahe-  
bat. Jámque integer à concepto voto  
annus se evolverat; & Xaverius non uti-  
que ludendos vanis promissis Superos  
ostendens, eadem cœcitate filiam, simul  
in filia matrem plectit. Tum verò illa  
ad tenebras natæ errorem suum perspi-  
ciens, multam inter pœnitudinem, suam  
cunctationem deprecata, fidelius præstan-  
da vota instaurat. Nec difficilem se exhi-  
buit Xaverius, & puellæ brevi oculorum  
luxiterum rediit.

Annô MDCCXXIX. Pleiburgi Lu-  
cas Obertanczus filium bimum habebat,  
cujus oculum alterum arcana quædam  
pestis ità corruperat, ut ne solares qui-  
dem radios jam sentiret. Quæsitis fru-  
stra ab humana arte remediis, in eo res  
erant,

erant, ut filio medelam pater desperaret. Unum adhuc succurrebat commendare Xaverio puerum, cœlestibus utique subsidiis certius juvandum. Quare Lucas Oberburgum pro filio piè visendum, Missamque eò loci curandam sibi edicit. Inter hæc pater ex negotio bidui itineris profici scitur, sed indidem revertens, cum multa de nato juvando anxiè cogitaret, filius redeunti ad vestibulum domus obviam procurrens, salutato hilariter patre, caliginem se interea temporis oculorum omnem abstersisse conclamat; ut Lucas effusè gestiens agnosceret Xaverii beneficam manum, quæ vix dum de beneficio appellata, & ei ferendo jam prompta morem suum servâisset.

Annô MDCCXXXI. In Paræcia Oberburgensi degebat Bartholomæus Rakus, qui ab annis novem acie oculorum emortua, eam orbitatem Christianè tolerabat. Interea filia, quæ cœcum patrem manu per viam deducebat, labori satis jam adulta ac id genus vitæ otiosæ porro non ferens, parentem precibus eò conatur pellere, ut se ad præstandum alicubi servi-

tium dimitteret. Nec filiae fortunam siste-  
re volens genitor, simul tamen, si discede-  
re pateretur, suam vicem anxius, Xave-  
rio non pluribus verbis, quām suspiriis re  
commendat, rogat tantum sibi luminis  
saltēm impertiri, quantum satis effet ad  
viam sinē duce legendam, quæ ad sacram  
ejus ædem deduceret, quāmque ad id tem-  
poris assiduè visitare consvēsset: hoc unō  
repertō, cæteris se solatiis libenter cari-  
tum: insuper si Xaverius operam illi  
suam gratificaretur, sextas quasque ferias  
perpetuō jejuniō celebres habiturum. Non  
fuit Xaverio animus senecionis vota diu-  
tius differre; & plūs, quām rogatus effet,  
beneficii homini impendens, omnem ocu-  
lorum caliginem penitus abstersit. Eam  
Xaverii bonam gratiam hodiéque narrat  
Senecio locum illum pietatis causâ ade-  
untibus, ac fiduciam adversùs Cœlitem  
suō illis exemplō inspirat.

Augusto mense ejusdem Anni  
**MDCCXXXI.** delata Oberburgum excel-  
lentissima Comes Maria Rebecca Wagen-  
spergica, Dominorum Stubenbergicorum  
vetustissima domo nata cum herulo filio  
G 2 aderat.

aderat. Is oculum utrumque vehemen-  
ter perdolens , medicorum operas , artés-  
que omnes trienniō exercuerat , quæ ta-  
men tantū non profecere , ut ferre vel  
quantulæcunque lucis radium herulus si-  
nè cruciamento oculorum posset , quos  
cam obrem spleniis jugiter obligatos esse  
oportebat. Comes ergo , filiō , ut idem  
pro se faceret commonitō , in ardentes pre-  
ces effusa , multis cœpit Xaverii benevo-  
lentiam implorare , ut eam charissimæ pro-  
li volens libénsque impenderet , atque il-  
lud oculorum malum festinus amoliretur.  
Praeterea iis , quæ pietas suaferat , optimæ  
spei plena discessit. Posteaquam verò do-  
mum incolumis revertisset , ecce herulus ,  
bellè habere , oculi ad hilaritatem correcti  
diem admittere , nihilque penitus de pri-  
stino malo apparere ; ut herulus rejectis  
oculorum spleniis liberè jam ageret , ma-  
tre inter hæc , totaque familiâ lætitiis ge-  
stiente.

## C A P U T V.

*Gradiendi quibusdam liberè facultas  
reddita.*

**D**ecenniō, quō Xaverius in India labo-  
ravit, viarum tantūm per frequen-  
tia & prolixia itinera, idque suis pedibus,  
ac nullo plerūmque calceamento prote-  
ctis dicitur emensus, quantum orbi terræ  
sæpius circumēundo satis fuisset. Nulla  
tam solitudo vasta, aut scopulus tam in-  
accessus, qui hujus pedem ab aditu re-  
tardasset. Huic lassitudini pedum, præ-  
ter cætera Xaverii amplissima merita, jure  
quis assignârit, quod à Cœlo Divus au-  
dire est meritus, dum claudicantibus pe-  
dum sæpius firmitatem, ac vim rectis gre-  
ssibus incedendi poposcit.

Annō MDCCXIX. Claudam fœmi-  
nam Xaverius consanârat, nec tamen  
prius, quām illam rectum precandi mo-  
dum doceret, quō uti nos homines o-  
porteat, in iis præsertim rebus quæ corpo-  
ris nostri bono à superis flagitantur. Mar-  
tina hæc erat Uzhizia, patriâ Neylensis.

Hujus Martinæ pedem alterum gravis dolor incesserat, qui tibiam depastus, novissimè inutilem figendo gressui fecit. Sed illa nil cunctata Oberburgum ad ædem Xaverianam properat, petitura indidem medelam, ubi tot alii reperissent. Secus tamen, ac sperârat, evenit: nam toto deinceps anno sævi dolores pertinaciter pedem insidebant, qui nusquam interquiescere fœminam sivere. Id verò illi, cur tam pronus aliis Xaverius, in sua vota tam segnis esset, oppidò miranti; illud denique succurrit, placere suas preces non potuisse Cœliti, quas ea lege non dependisset, ut juvari se, si Cœlo id vîsum, ac saluti animæ expediens, peteret. Itaque errore agnito, correctoque, precari in eum modum deinceps perrexit: Secus Claudam se nunc esse malle, ac postea Cœlum tenere. Hic enim verò rete orâsse Martinam prodigiô Xaverius ostendit quando illa brevi póst tempore penitus valuit, suóque exemplô cæteros mortalium illud Christi monitum docuit:

\* *Sic orabitis.*

Annô

\* Matt. VI.

Annō MDCCXX. Georgius Andreas Zhigaunicus Huettenstainensis jure-jurando interposito affirmavit se ipsos triginta annos dolores quantos maximos perpessum , qui pedem alterum infestum habebant ut ægerrimè incederet, aut vix etiam moveretur. Itaque desperatis naturæ subsidiis , venisse sibi in mentem Xaverium solicitare , atque integrando pedi piam peregrinationem, & votivam ad ejus aras Missam polliceri. Nec respuisse Xaverium eas preces , quando ipse postlimnio sanus , & utrumque pedem firmus Oberburgi nunc adesset , solvendorum , quæ promiserat , votorum causâ.

Linguâ simul ac pede captus erat filius Blasii Dernushecessii , & ea vincula in sextum jam annum puerulus perferebat : quem pater oppidò miseratus Xaverianis denique manibus solvendum decrevit. Sed ne eas preces Divus aspernaretur placuit Votivam Missam , ac peregrinationem placoando Xaverio polliceri. Simul hæc Blasius vovit , simul integræ sensuum libertati puer est redditus.

Ad diem septimum Julii ejusdem anni MDCCXX. venere Oberburgum lori pedes Gertrudis Streicheria Turheniō, & Sebastianus Topus Leutschiā. Post fusas ad aram Xaverii preces, eō quod volebant impetratō, incolumes uterque pedibus retrō domum, unde venerant, abiērunt.

Annō MDCCXXII. Virum in Carinthia Nobilem Georgium Lemachorum, patriā Laufflingensem, per duodecim continenter annos pedum dolores lecto affixerant, altero jam arescente, ut neque solus posset commovere se se, nec nisi grallis utrinque nixus, idque peragrè, gressum moliretur, ubi prandii tempus ad mensam vocabat. Pietatis tamen causā invisum ad ædes Xaverianas pollicitus, dum illuc se vehiculō deferendum curat. Pariter ità pedibus convaluit, ut nullo fulcro nixus, in Odeum Xaverii solus se inferret, ubi suspensis in testandæ rei memoriam grallis, Votivam præterea tabelam dedicavit.

Annō MDCCXXIII. Animum obstinarat Michaël Dolingerus, Divæ Barbaræ apud

apud Bischofflaçem ædituus, nullam uspiam fidem iis tribuere, quæ prodigiosè in vulgus edita apud Oberburgensem Xaverii Basilicam dicebantur. Ut quidvis fando accepit mirè, ac suprà quām vires humanæ paterentur, gestum, id totum homo nimirum acutus & perspicax deridebat, tanquam noctium imagines, & materiam anilium fabellarum. Sed scilicet suis ille damnis sapere doctus, animi pertinaciam fregit, cùm non multò pòst crebræ in hominem ægritudines incurrere ut manus pedesque captus, toto præterea corpore miris doloribus carperetur. Hæc demum mala sanitatem mentis homini reddunt, & ille Xaverii beneficia jam non inter res ludicas numerans, quām potest submissa prece Sanctum rogat, vellet se unum ex iis esse, in quos adhuc prompsisset beneficentiam: se verò & Basilicam Oberburgensem aditum, & ibi pro ejus iconे pristini erroris veniam petitum. Audiit benignè hominem Xaverius, & totam illam morborum phalangem, quæ in miserum incubuerat, non cunctanter depulit.

Annô MDCCXXX. Jam ferè quadrimestri affixus lecto hærebat Oswaldi Savernici Prasbergensis puer longam perpeccus morborum seriem, quam denique subsecuta paralysis omnem membrorum vigorem dissolverat. Hic verò genitor puerum aliter juvari posse desperans, ad Xaverium spes suas reflexit, pollicitus, si filius eas calamitates sospes exiret, Oberburgum se ædis Sacrae visendæ causâ maturè profecturum. Nec alio opus erat pharmaco; siquidem puer ab ea promissione convaluit.

Aliud eodem anno beneficium alteri incolæ ejusdem loci Xaverius memoratur præstítisse. Lucas is erat Kloschirschnigus, cui dolores non sanè modici dextri pedis nervum contraxerant, ut ille sensim exarescens, hominem finè ingenti cruciatu gressum moliri non sineret. Ergo uxorem Oberburgum mittit, quæ sanitati im petrandæ Votivum donum perferret. Illa quod jussum erat, exequente, maritus interim nihilo minus habuit. Quæ quidem Xaverii cunctatio expugnare fortasse aliorum, non item hujus Lucæ fiduciam potuit;

potuit; quin potius spibus dilatis crescere illi animus visus, ut secum statuerit tametsi miserrimè ad ædes Xaverii perreptare. Huc ut ad diem IV. Idus Majas pervenit, semotus à turba, ne quid obstreperet, post ipsam Divi aram in preces effusus, cum ardentissimè oraret, repente dolor omnis abesse, laxari nervus, pes ipse rectus, ac sistendo, figendóque gressui idoneus esse cœpit, ut ille abjectis à se grallis repente in turbam prosiliret, magna voce, magnò gaudiō se Xaverii beneficiō sanum esse conclamans. Movit ea res admiratio nem populo præsenti, ac pietatis, fiduciæ que in Xaverium magna incrementa ad jecit.

Annô MDCCXXX. Elisabetha Koprionia lustrô ferè totô fœdè claudicabat, duplici grallâ suffultâ, si qua moveri necessum foret. Sed postea magnam sibi valetudinis spem injici sentiens, si in præsidio Xaverii se constitueret, itinere diffi cili, ac multo sudore diffluens Oberburgum pervenit. Ibi dum de noxis confessâ, epulóque Eucharistico potita tempus pre cando extrahit, vires sibi addi sentiens,

cū

cum experiundi causâ pedes insistit, sānam se esse penitus deprehendit. Ergo grallis pro ara Xaverii depositis, insolitum præsentibus stuporem concivit, quod fœminam rectis passibus per templi medium ingredientem viderent. Sed multò plus crevit admiratio, cum non multò post tempore Elisabethæ concives publica supplicatione per curionem suum deducti, visō eō miraculō attoniti, ac multa de ejus sanitate percontati, eam liberè gradientem conspexere.

Annō MDCCXXXI. Libellionem publicum Civitatis Leobiensis, quæ superioris Styriæ caput est, homo iræ impotens tam graviter humili affixerat, ut eo casu pes sua statione excussus, insanis doloribus exercitum homuncionem non noctu, non interdiu sineret interquiescere; is Joannes Georgius Mihalitschius dicebatur. Acciti Chyrurgi pedem quidem luxatum suo loco restituerant, sed nimirum dolores cruciare hominem perseverabant, quibus ille porrò perferendis jam impar, altiora cœpit remedia querere. Rogat Xaverium, cruciatuum parte detersa,

terfa, aliquid saltēm afferret lenimenti. At Sanctus cūm sēpē aliās, tum etiamnum, plus, quām peteretur, præstare solitus, plenāe sanitati hominem reddidit, medicis mirantibus, ac Cœlesti id virtute factum prædicantibus.

Annō MDCCXXXI. Gertrudem quoque Pikliam diuturni pedum dolores graviter infestaverant, & jam absumptis noxio humore nervis, gressum nullum figere poterat sīnē extremāe lanienāe cruciatu, quō factum, ut omnis illam spes desereret de cætero ambulandi. Unum adhuc fœminæ succurrebat, Oberburgum adire, atque apud loci ejus tutelarem Xaverium de valetudine cœlitus impetranda transigere. Quare conductis cisiis profecta, hostiam Divino Numini litanدام per Sacerdotem curat; ipsa interea precibus, quām poterat, ardentissimis Xaverio séque ac valetudinem usquè commendat. Ecce autem non priùs Mysta finem Sacris imposuit, quām ipsi quoque dolores apud Gertrudem finiere. Hinc alacris illa in bases pedum jam firmas asfurgit, ac collaudatâ multis præconiis sospit-

hospitale Xaverii benevolentiam, sine gral-  
la, sine vehiculo domum læta festinat.

## C A P U T VI.

### *Variæ ægritudines consanatae.*

**U**T olim in deserto Israëlitici populi du-  
ctor Moyses serpentem æneum publi-  
co, ac eminentiore loco excitârat, quod  
accepto sanarentur ii, qui de populo fer-  
pentium iicti morsibus ægrotabant; ita non  
mirius per illa montium aspera, ac vastas  
quibus Oberburgum interjacet, latè re-  
giones, videtur hisce temporibus benigna  
in mortales Numinis providentia excitâsse  
Strashensi in colle Xaverianam illam Ba-  
silicam, ac salutares aras, quarum seu  
aspeetu, seu cultu religioso ægri homines,  
quamlibet diversis, gravibusque malis  
conflictantes pristinam salutem caperent.  
Sanitates certè omnes, quæ iis in locis  
per Xaverium patratæ sunt, non est an-  
gustæ hujus paginæ, sed exaggerati, ac  
spissi voluminis enarrare, de plurimis pau-  
cula quædam, quæ fide publica testata  
sunt, delibemus.

Jaco-

Jacobo Augustino annum MDCC-XVIII. colicus dolor fatalem penè fecerat, qui in hominem aliquando ità defecit, ut ne tantillum quidem temporis provicturus speraretur, quo consuetis Ecclesiæ Cerimoniis expiari posset. Uxor periculò viri attonita, Xaverio fit supplex, & seriis certè lacrymis infusa, Xaverium deprecatur, eō articulò séque, ac maritum respiceret, pluriūmque liberorum misereretur orbitatem: promittit foemina mariti nomine (nam pro ædituo rem Sacram Templi curabat) fidelem Xaverio servitutem. Secundùm hæc foeminae vota omnis repente Cœli intemperies extinguitur, aliique juxtâ morbi, quibus antea maritus, & nunquam postea laboravit.

Annô MDCCXX. Ursulæ Peterlinæ filiolam quinquennem phrenesis sæva sæpius sternebat, quam mater cùm ad complura loca prodigiis celebria, irrito evenitu deportâsse, novissimè Xaverio commendat, cum promisso, se illam in æde Oberburgensi pietatis causâ stitaram. Placuisse id promissum, consecuta filiæ sanitas probavit. Plura ejusce generis beneficia

ficia Xaverius memoratur annis aliis præstítisse, prout Achatius Kolarius de se ipso, Georgius Konzchnigus Schwarzenbacensis de filia, Joanna Novakia Cæsarogradensis de filio, Maria item Zshmerlia, ac Georgius Petscharius de suis prolibus, Mathias denique Hibingenes Labacensis Civis de sua Conjugé, id religiosè affirmârunt.

Annô MDCCXX. Ulricus Rodelus Xaveriô votis propitiatô, prole mascula auctus fuerat, quam è sterili thoro diu vanus optabat. At ille, dum moras dicit, ac sua promissa exequi tardat, cœpit puer ægrotare, sensimque haud vanis indiciis pessumire. Parentes id offensô Xaveriô fieri prudenter interpretati, instaurare votum maturant, inter quæ infans omni confestim ægritudine liberatur.

Annô MDCCXX. Joanni Terkezio ingens in imis visceribus calculus hærebat, quem Chyrurgorum quamvis peritorum ars, manusque refugiebant. Itaque moriendum sibi esse Joannes videbat, nisi quem humana destituissent, Cœlestia præsidia juvarent. Igitur Xaverio uti pro medico placuit, ac peregrinationem pollicitus,

citus, non diu distulit proficisci. Ecce autem vix viæ dimidium post se reliquerat, cum nullo doloris sensu lapidem enititur, quem deferens Oberburgum, actis prius Xaverio gratiis, multis videre cupientibus ostentavit.

Annô MDCCXXII. Carnioliae inferioris vicus est litiga, quem parœcia D. Martini complectitur. Hic rabidus molossus Urbani Savari domesticum canem eodem malo afflîrat, cui dum pueri suo more colludunt, & ipsi eadem peste corrupti, singillatim quisque in rabiem effrantur. Ergo illi contind furere, mox jurgari, ac invicem pugnis cœdere, domô se denique ejicere, ac plateas clamore juxtâ, insaniâque complere. Retractos domum, cùm sedare pater non posset, Xaverio devovet. Hic enimverò tempestas posuit, & pueri sanitate mentis oborta tranquilliùs egêre.

Annô MDCCXXII. Ulrici Hribari Eberndorffensis filius multo per corpus ulcere coopertus, gibbo præterea deformis extumuerat, ut mirum cæteris videtur, qui viveret. Nemine tamen reperto,

tes de Xaverio conjecere , præsertim quod spectaculum cum tempore, quod voverant, concordasset.

Sic & Mariæ Archarziæ Bischofflaconi, & Valentino Schulero per annum M. DCCXXIV. videndum se Xaverius præbuit, eo planè habitu , quod Oberburgi depictus visitur. Et Mariam quidem manum , pedumque fœdo tumore liberavit. Valentino autem arescentem manum correxit , sic ut operi faciendo habilis esset. Doloribus tamen qui nervos infestaverant, nihil interea remittentibus, Oberburgi adesse Valentinus maturavit, cereæ manus donum, quod voverat, deferens. Verum dolore ne sic quidem depulso , cùm postea in sylva rusticus ad carbonarias vigilat , objicit se illi Xaverius, manusque affectam oleo perungens, nisi te , inquit, jam modò curatum sentias, enim verò curabo iterum adesse, tēque sanare. His dictis evanuit in auras Beatus , juxtaque omnis apud hominem dolor.

Annō MDCCXXV. Andreas Harneus Ruschinensis supremos inter angores animam acturus brevi videbatur, cùm illum somnus eo articulo rerum insolens oc-

qui malis hisce medicinam faceret, Pater conceptâ adversus Xaverium fiduciâ votivam Missam, ac peregrinationem pro filii incolumitate pollicetur. Nec sua spes hominem frustrata est, siquidem pueri ulceribus paulò post dissipatis, dorsi quoque correcta spina est, & tubera illa grandia, quæ puerum fœdaverant, detumuere. Aliam quoque ulcerum tabō fluentem apud paræciam Klobasensem sub annum MDCCXXIII. sanitati memorant redditam, quam nomine Mariam Kotscheriam dixere.

Histalibus Xaverius subsidio ea parte affuit, quæ malo molestiâque corporis attinebantur, jam aliis etiam mentis deliquia, cerebróque errores correxit. Haud procul Marburgo abest D. Laurentii parochia: hic Joannes Ambrosius octavum jam diem inter manifesta deliria belluinum in morem ferociebat, ut arctè claudi, vinculisque debuerit attineri. Unica tamen Xaverii invocatio mentem homini reddidit. Hæc anno MDCCXXII. contigere: posterius est, quod Georgio Slokernico evenit. Is per annum MDCCXXVI. gra-

vi capit is dolore vexari cœptus , ac profi-  
ciente in dies malo , denique expugnatus ,  
nihil jam pro sa no agebat . Hunc dome-  
stici ad ædes Xaverianas , vi pertractum ,  
precibus , quas ipse pro se fundere nequi-  
ret , juvare aggressi , supplicationem ibi  
in dies novem communi edicunt senten-  
tia . Ut precari cœptum est , redire etiam  
homini , nec tamen nisi per intervalla ,  
mentis sanitas : iis porro precantibus , ipse  
quoque confirmari : ubi postremus precum  
dies affuit , jam plenè sui compos , magnâ  
lætitia Georgius , juxta que cæteri omnes  
domum revertuntur .

Annô MDCCXXIII. Margarithæ  
Paulitschkiæ filiam , juxta que Philippi Ar-  
noschecci quatuor liberos , natæ ad collum  
Strumæ deformaverant . Et parentes o-  
mnem eò curam intenderant , ut valetu-  
dinem medici accurarent . Sed rebus in  
dies pejoribus , propitiatô demum votis  
Xaveriô inauspicatæ corporum appendi-  
ces evanuêre . Complura his talibus af-  
finia alii , quanquam per diversa tempora ,  
memorant . Et Maria quidem Pischleria  
aurium capitisque vermes depulso ; Jaco-

bus Hozevæus, filii sanatam herniam; Andreas Steizius firmatam dorsi vertebram immanni trabis pondere quassatam, Gaspar Samezius ferocientis equi ungulis protritus, integritatem redditam, alii denique alia se beneficia consecutos opitulante Xaverio meminère.

Annô MDCCXXVII. Apud Vind-Græcium præturam gerebat Valentinus Gossentschnicus, cuius uxorem jam totâ bienniâ sævus capitîs dolor pessimè habebat. Hisce injuriis modum aliquando repertura, Oberburgi Xaverium supplex adit, multisque precibus Cœlitem fatigat, dolore interea nihil remittente. Quare domum revertens, dum cæteris ad se invisentibus queritur, quâm infeliciter orâsset, sensit se repente quodam quasi flabellâ amænè ventilari, juxtaque omnem capitîs cruciatum momento vanescerre, ut videretur Xaverius noluisse ferre, si quis Oberburgi ab eo se non esse auditum conqueri posset.

Annô MDCCXXVIII. Luculentiore alibi exemplo Xaverius ostendit, quâm defendendi sui honoris, si qua verbis pro-  
cacibus

cacibus peteretur, studiosus esset. Servus dominum rogârat, vellet sibi tantisper veniam esse, pietatis causâ apud Oberburgensem Cœlitem invisendi. At herus, servò id in præsens facere vetitò, inconsideratè eam vocem protulit, non opus esse, itinere tam longinquò pergere, ut Xaverius coleretur. Esse in proximo ejusdem Sancti aram, cui iidem cultus deferri, delatis Xaverius perinde propitiari posset. Verum vix ista ille, cùm vehemens dolor intimas dentium medullas momentò insidens hominem ferme in rabiem egit. Mandat illico Chyrurgos acciri, qui dentem cæteroquin sanum revellerent. Revulsere: at cum dente simul caro avulsa, osque mandibulæ fractione violatum est, sic ut per eos dies homini vitiata mala fœdè intumesceret. Tum enimverò intemperantis linguæ error herum advertit, cui seriò indolens, Oberburgum continuò servum ablegat, jubétque Sancto suo etiam nomine supplicem fieri, securum se illico ubi per dolores, ac mali vim licuisset. Abiit servus ab herili domo; juxtaque dolor ac vitium omne ab hero.

Annō MDCCXXVIII. Ex negotio  
 foras profecta liberos in cubiculo destitu-  
 erat Helena Fracklia Sulzbacensis, mino-  
 rem natu interea majoris vigilantiæ com-  
 mendans. At puero adultiore incuriosi-  
 us observante , minor è mensa , cui forte  
 insederat , in terram delapsus , atroci casu  
 in pectinem , quō līna carminantur , toto  
 capite infertur , sic ut vitiatum ferri acu-  
 leis cranium , cute etiam capitis nudaretur.  
 Hic senior gravissimè exterritus , in vesti-  
 gio phrenesi agitari cœptus est tam vio-  
 lenta , quæ illi manuum pedūmque , ac līn-  
 guæ usū adempto dorsi præterea spinam  
 in gibbum detorsit. Regressæ matri , tri-  
 ste enimverò spectaculum panditur , ad  
 quod cùm alii , aliique lamentis miseræ  
 matris exciti accurrisse , severam de pro-  
 lis utriusque vita sententiam pronunciâ-  
 runt. Extremis rebus Xaverium succur-  
 rit invocare , ac peregrinationem ad ejus  
 collem , hostiāmque Sacram à Sacerdote  
 litandam promittere. Hæc ubi mater vo-  
 ta concepit , jam loqui mutus , claudús-  
 que puer ambulare , nullum etiam dorsi  
 vitium apparere : minor verò non multò  
 post integra valetudine uti cœpit. An-

Annō MDCCXXVIII. Periculose  
decumbebat Casparus Franchius vir inter  
Labacenses honestō locō natus , & mor-  
bum ætas in septuagesimum usquè annum  
proiecta periculosiorem faciebat. Medicis  
jam quinque mensium inutili conatu fes-  
sis, cum morbi vis nihilō se frangeret ,  
ægrotus ipse vitam polliceri sibi non est  
ausus, nî majoribus , quām vires humanæ  
ferrent , præsidiis , ab exitio defenderetur.  
In eo articulo opportunè illi Xaverius in  
mentem venit , quem continuò suspirans,  
liberale donum , si sospitalis sibi esset ,  
pollicetur. Audivit ægrum Xaverius ,  
morbūmque juxtā ac periculum depulit.  
Casparus verò prolixè beneficium remune-  
ratus , in vicem æs campanum ( nam fu-  
sor æris erat ) mille sexcentūm librarum  
Oberburgi appendit.

Annō MDCCXXIX. Jam integro  
trimestri graviter febriebat mercator Esse-  
kini in Sclavonia Jacobus Viakozius. Ma-  
lō toties depulsō , totiésque redeunte ,  
calor interea venarum fontes hauserat ,  
hominémque ad vitæ confinia admirat.  
Pietatis tamen , ac fiduciæ , quam olim

Oberburgi in plebe viderat, recordatio, ingentibus illum animis implevit, ut salutem à Xaverio fidenter poscere, speraréque ausus profecturum se peregrè ad Basilikam Xaverii polliceretur, si convalesceret. Hæc ante eam noctem, quâ febri redeundum erat, promittebantur: & amplius febris homini insultare non ausa, placidam quietem concessit. Die postero tempestivus è lectulo surgit Jacobus, nullo morbi vestigiò notatus.

In eundum modum Josephus Zinguleus Rattmanstorffensis, biennii morbō propè absumptus ad invocationem Xaverii repente convaluit: nec minus alterò post annò Nobilis vir Joannes Baptista Mülleggeos Styriæ Provinciæ Sequester, cui multiplicem morbum anni graves periculosiorem fecerant: sed nimirum promissa peregrinatio vim omnem torridæ febris, continuò exarmavit.

Annus MDCCXXX. fatalis prope modum fuit Laurentio Resselio Clagenfurtensi, qui annuam olim peregrinationem spondens, invisere hoc anno apud Xaverium neglexerat. Eadem quippe, qua

qua solitus erat, ægritudine correptus, animam brevi acturus timebatur. Sed errore agnito, ac per seriam pœnitudinem expiato, votum suum instaurat, promittens se illud majori deinceps fide servaturum. Ea re Sanctus eatenus placari vi-sus est, ut periculum ab homine depeleret, sanitatem tamen integrum prius non reddidit, quam vota Oberburgi ægrotus exsolvit.

Per annum MDCCXXXI. binos à gravi morbo Xaverius liberavit: Alter Georgius Sorta, Georgius alter Marogus dicebatur. Et Georgius quidem Sorta Wippacensis ingenti æstu febrium torrebatur, proximè moriturus: Georgium verò Narogum S. Viti propè Wippacum incolam cancer obsederat, qui faciem maligna peste populatus, haud diu à petenda vita temperaturus credebatur. Et verò homo rudis, dum nescio ex cuius imprudenti consilio noxiā medelam adhibet, longè malum in pejus auxit, cum continuò vultu in foedum tumorem converso, dolores simul tanti hominem incessere, quibus ferendis impar esset hu-

mana patientia. Hi tamen in eo rerum suarum præcipitio, animis in fiduciam erexit, cùm Xaverio se stituros spopondissent, cadere periculum animadvertisse, ac paucis pòst diebus sanitas utriusque, ac virium integritas successit.

## C A P U T VII.

*Damna rei familiaris, & fortunarum  
per Xaverium aversa.*

**D**Um plebis rusticæ apud Oberburgensem, ac vicina circum colentis studia in eo sunt, ut pro modulo, ac conditione magnam Xaverio venerationem impendat, Sanctus quoque non ipsorum modò incolumitatem, sed vitæ quoque commoda, réisque eorum familiarem curandam, ac si qua periclitaretur, tuendam suscepisse est visus. Alibi fertilitatem agris inditam, alibi aversam grandinem, ceteraque ejuscemodi data beneficia, aut prohibita damna hic recenseri possent, nì prolixiora exosi, quæ Xaverius copiosè præstitit, nobis constitutum esset multò angustius

gustiūs denarrare. Certè dum struendi Sacelli , ac deinde Basilicæ Xaverianæ opus servebat , si quod jumentum operi cætero- quin faciendo idoneum morbo pessumiret , id Oberburgum continuò mittendum , vel ipsi rustici dicebant , sanandum uti- que , ubi tantisper opus pro Xaverio fe- cisset. Hæc tum inter agrestes opinio : sed nos beneficia , plus quàm sermone vul- gi detestata jam afferemus.

Annō MDCCXVI. Pagano homini , quo de superiūs dicebam , Georgio Ku- khizio equum morbus corruperat , ut il- lum jam pro deperdito æstimans , quàm erat angusta illi domestica , multùm ejus causa mœreret. At filius Patre spem bo- nam capere jusso , ajebat Xaverio suppli- candum , se enim auditu à Commissario accepisse , cùm publicè pro Concione di- ceret , in hisce casibus Xaverii opem plu- rimos fuisse expertos : polliceretur modò , si equus proviveret , eum se ad operas Sa- celli , quod modò Cœliti struitur , loca- turum. Id ubi à parente promissum est , ambo ad stabulum recurrent , visuri , quam vim eæ apud Cœlitem preces habuissent.

Jam

Jam autem equus in pedes se erexerat, sannusque fœnum de præsepi haud segniter carpebat.

Annō MDCCXX. Violenta grando Seælandiensibus spem messis aliquot continenter annis inutilem fecerat, qui ne iisdem porrò detrimentis in exitium vergarent, collatis in commune consiliis, id demum placuit, votō se obstringere, cujus religione, si DEUS Xaverii preces respiiceret, atque id porrò malum ab agris averteret, publica quot annis supplicatione Oberburgi sub signis abesse, bonāmque beneficio gratiam reddere tenerentur. Salutare id rebus consilium fuisse eventus probavit: hoc enim anno circa paræciam Seelandiensem tertium vagata, ne spicæ quidem unius calatum infregit, quamvis in vicino haud levem agris calamitatem intulisset.

Annō MDCCXXI. Georgius Osterschecus crumenam in itinere septem, ac viginti florenis gravem loco aliquo per oblivionem relinquens, damnum non nisi sero vespere animadvertisit. Homo tali jactura mirè anxius, peregrinationem Xaverio,

verio, ac si perdita sibi pecunia redderetur, florenum ex iis unum vovit. Postea cum socio viam remensus, cum ad locum appulisset, reperit intactâ bursâ, nihil omnino aeris defieri, quamvis illac multi eadem die homines commeâssent.

Annô MDCCXXI. In domum Blasii Gruschanii Lauffensis fur noctu irrepsens, vestem, quam optimam habebat rusticus, compilaverat. Eam ob rem Blasius mirè mœstus, apud Xaverium de sinistra sorte conqueritur, rogans, ut Divus indemnem se eatenus esse vellet. Simul Rhenensem unum nummum de loculo promit, aræque Xaverianæ discensus imponit. Ecce autem non multò post hæc, nocturnus prædo arcanis stimulis adactus, Blasio se sttit, postulataque criminis veniâ, vestem inviolatam redhibuit.

Annô MDCCXXIII. Georgius Gallus è vico Schemsenicensi veniens retulit, stabuli hic tectum, tignis pondere, ac vertute fatiscentibus, per ruinam prolapsum, in suum, ac vicini sui pecus incubuisse. Apparebat cō periculō pecus om-

ne sin minùs opprimendum, certè gravi noxa vitiandum. Huic tamen antequam succurreretur, Georgius ad vota flexus, curaturum se rem Divinam ad honorem Cœlitis promittit. Locô deum eruditô, deprehensum est nihil penitus damni allatum; ac cùm vesper ingruens, viresque longo labore attenuatae cœptum opus perfici vetarent, unum, quod adhuc sub ruina pecus latebat, Xaverio commendant. Postridie ubi ad opus redeunt, & illud denique pecus nulla uspiam parte lœsum apparuit.

Annô MDCCXXIV. Est infra Crainburgum D. Georgii paræcia, in qua vorax flamma sex domorum verticem depasta, jam septimæ imminebat, cùm Paterfamilias Andreas Supanus defendendo periculo Xaverii opem inclamat, additô votô curandæ Missæ, ac peregr nationis obeundæ, si flammæ verterentur. Potuit ea promissio concitare ventorum propitia flabra, qui in adversam partem nitentes, raptis secum flammis cùm pabulum subduxissent, mori eas denique coëgêre.

Annô

Annô MDCCXXVII. Petrum Krat-  
 tum mercatorem in Carniola Rottman-  
 storensem, triplici beneficio arctius sibi Di-  
 vus hic noster obstrinxit. Primum Petrus  
 fratris mercatoriam pariter facientis, quem  
 militum conductores vi raptum, nè quā  
 effugeret, conclusum tenebant, vicem  
 anxius, cùm ejus causā visurum se ad  
 Xaverii ædem pollicitus esset, fratrem ea-  
 dem horā à militibus manu missum inco-  
 lumem accepit. Subinde cùm in tractan-  
 do mercimonio, rem familiarem pessum-  
 ire potiūs, quām augeri sentiret, nec se  
 nominibus, quibus apud creditores multis  
 erat obnoxius, expedire posset, uxore in-  
 super jam partui adproperante, omnia ei  
 articulo opportuna hominem defierent,  
 Petrus in medio aliquando campo ambu-  
 lans, & has secum angustias recolens,  
 vultu ad Xaverii odeum converso, ex in-  
 timo animi sensu opem institit à Divo re-  
 poscere. Illō verō temporis puncto sen-  
 tit sibi tanquam in aurem dici, subiectam  
 pedibus dumum aspiceret, reperturum,  
 quod ærumnam in præsens levaret. Ecce  
 autem oculos dejicienti, jacens humi-  
 crue-

crumena objicitur , quam pedibus primùm versatam , dum dein tollit , ac lustrat , novendecim in ea nummos argenteos reperit , quos marianos vocant , qui núm , ac plús , florenúm valore . Petrus , núm aliquis perdidisset , vestigató , cúm nullus se Dominum ferret , eos Xaverio in acceptis retulit , ac servavit . Hocce autem tali successu jam multò animis auctior , Cœlitem obsecrare perrexit , vellet sibi mercimonium eatenus prosperare , dum æs alienum expungeret . Neque hic Clienti suo Xaverius defuit , siquidem ex eo tempore Petrus meliori usus fortuna , debitum omne retulit primùm , atque inde opibus sensim crescere cœpit , quæ omnia ipse gaudio lacrymans Oberburgi publicè fassus , meritis laudibus Xaverii beneficentiam ornavit .

Anno MDCCXXXI . Vincentius Sadnicus sæpè Xaverium pecori salutarem expertus , intérque cætera ovem jam pro perdita habitam , atque iterum bovem incurabili malo laborantem vidi incolument . Alias lues maligna , quæ magnam jam stragem vicino ovili intulerat , Vincentii

centii quoque ovile infesta carpebat. Vi-  
sum est Xaverio supplicem denuo fieri,  
annuāmque ejus honori peregrinationem  
vovere. Nec Divus solari hominem di-  
stulit, pestémque à caulis, sospite omni  
pecore, prorsum abegit.

Annō MDCCXXXI. Martinus quo-  
que Kuderus, dum eqvum die jam inte-  
gro seminecem dolet, periclitaturus num  
quid opis Xaverius afferre vellet, in con-  
clave succedit, decursáque novies prece  
Dominica, itémque Angeli ad Virginem  
salutatione, Divum orat, ut salvum sibi  
jumentum esse vellet. Secundūm eas pre-  
ces Martino ad stabulum revisente, jam  
eqvus ad præsepio constitit, ac pabuli fo-  
menta admisit.

Nec minùs eodem anno sospitalem  
eqvo suo Xaverium expertus est Primus  
Wlatnicus, apud D. Martini paræciam in-  
cola. Is cùm è præcipiti jugo decidens,  
per saxa, & lapides volveretur, rusticus  
Xaverium invocat, rogans malum ab  
eqvo, damnum à se tale averti. Et va-  
luit imploratio: nam eqvum sinè noxa sal-  
vum recepit, quamvis necesse fuerit per

eas salebras quassari penitus, atque in frusta concerpi.

Plaustrum vini doliis grave Wippaco devehens, in vicum vicinum diverterat Josephus Novacus è Monsburgensi paræcia oriundus. Ab junctis equis, atque ut interquiescerent, in stabulum inductis, accurrit paulò post anhelus quispiam, nunciataque equum meritorium corruisse. Accurrens illico vector, ac pecudem multo verbere excitare aggressus, cum actum ageret, consilii inops, multa secum anxius cogitabat, qui onus suum proveheret. Inter eas angustias subiit animo hominis Divi Oberburgensis memoria, quem statim conciliare aggressus, votivam Missam, duosque animando lumini cereos deportandos promittit. Inter haec dubius, nec fortunæ in crastinum certus, quod noctis tempus poscebat, somno concedit. Sed primo mane, inspectis equis, eum, quem pridie laborasse diximus, sic, uti cæteros, valentem, operique habilem deprehendit.

Per ejusdem anni æstatem Pleyburgi Civem ( Joanni Floriano nomen est ) sors aspe-

aspera parte fortunarum haud modica ever-  
terat , nî Xaverius indemnem hominem  
præstitisset. Is vino alicubi coempto ,  
plaustrisque imposito , dum solem à vasis  
defendere negligit , cœpit æstuare liquor ,  
ac penitus decoqui nulla jam arte nobili-  
tati pristinæ reddendus. In iis angustiis  
deprehensum , nec quibus se industriis ex-  
pediret , perspicientem id demum saluta-  
re consilium incessit , Xaverio peregrina-  
tionem cum Missa , ac dono Votivo polli-  
ceri. Et valuit consilium , nam liquor  
post tridui spatium correctus pristinam  
generositatem , ac suavitatem , quam postea  
non amitteret , resumpsit.

## C A P U T VIII.

*Defulsa per Xaverium animi ægritudines.*

**Q**uantò animi humani nobilitas est ma-  
jor , isto ex vili gleba concreto cor-  
pore , tanto necesse est beneficia , quæ  
ad animum referuntur , illis corporeis du-  
camus potiora. Hipponensem certè Præ-  
fulem alicubi dixisse , quanquam non ex

vulgi sensu, memini, eam rem portentī plus habere, si improbi homines, ad recti, honestique studium transferantur, quām si ii, qui mortui fuerint, in vitam rursus animentur. Et ipse Xaverius, cūm adhuc vitam in India degeret, tametsi multa in vulgus mira frequenter patraret, his tamen adeò rebus nihil tribuebat, ut ne inter Sanctitatis quidem testimonia ponendas duceret. Alia enim in hominum ore illustria esse, DEO non perinde æstimari. Hinc speciem id rei grandioris apud Xaverium habuit, si quem aut libidinis cœno perlitum, expedire iis sordibus, aut avertere ab injustis lucris usuarios, aut pejerandi apud alios tollere consuetudinem, cæterasque hujuscemodi animorum pestes valuit profligare. Amat verò etiamnum Divus edere Oberburgi mira histalibus haud absimilia, quorum hic plurima afferri possent; sed nos pauca quædam afferre contenti, plerisque superseedere decrevimus.

Annō MDCCXX. Maritus cujusdam fœminæ (cujus nomen de industria premitur) non tam morbo corporis, quām ani-

animi malè consciī cruciatu , manifestis in-  
diciis mente delirabat , ut hac in stultitia  
domo procurrens , pérque sylvas , & avia  
vagatus , sius denique sibi carnifex esse  
meditaretur . Uxor viri utramque salu-  
tem anxia , editō votō Divinæ rei apud  
Cœlitis aram curandæ , sanam homini men-  
tem à Xaverio precatur . Nec frustra : eo  
maximè tempore , quo hæc talia domi  
uxor , erroni in sylva radius serenæ lucis  
oculis spectandus de Cœlo allabitur , qui  
disjectâ mentis nebulâ , hominis præterea  
animum sic repente hilaravit , ut cogita-  
tionibus de vita resti finienda porro omis-  
sis , sanus , ac sui planè compos domum  
rediret .

Sed alio prodigio , illūque in paucis  
memorando Xaverius ostendit , quām illi  
inter beatos agenti etiamnum curæ esset  
hominum correctio , déque pristinis erratis  
seria pœnitudo . Sub Julium mensem an-  
ni MDCCXXV. quaterni de Societate no-  
stra Sacerdotes Missionarii , quos vocant ,  
Apostolici , ac Xaverianorum olim faci-  
norum æmuli Oberburgum venere , sa-  
eras ibi ex more functiones per octiduum

obituri. Fama rei magnam undique populi multitudinem exiverat, ut viginti quinque non minus hominum millia affluxisse prudentes censerent, qui mysteriis procurati documenta seriæ pœnitudinis plurima in vulgus edidere. Nam liberi etiam adultiores ad parentum pedes certatim affusi, erratorum, quæ imprudentes admisissent, veniam rogare, alii qui initicias susceperant, mutuo invicem complexi, collacrymantésque polliceri mutuam oblivionem veterum offendarum, alii alia his illustriora agere, dum denique Sacerdotum unus eos in Concionem vocatos, atque eorum incensam pietatem collaudans, novissimè Pontificis Romani nomine cunctis bene precatus, ac plenam admissorum veniam impertiens, gratulantes, atque uberrimi solatii plenos domum dimisit. Priùs tamen, quam plebs dilaberetur, insigni prodigio Xaverius ostendit, quam Sacræ ejuscemodi Missiones ipsi juxtā, DEOque placerent.

Postremus dies agebatur, qui finem Missioni imponeret. Igitur de populo multi, qui, aliis super alios adventantibus,

non-

nondum eatenus confessi erant , omnes  
 Sacrorum tribunalium stationes confertis  
 agminibus occupare , ne non expiati re-  
 cedere cogerentur . Et quod angustiae  
 templi cunctos non capiebant , in adsitâ  
 domo , quam Sacerdotes incolunt , aures  
 id potentibus præbere oportuit . Supre-  
 mam domûs contignationem Missionarii  
 occupaverant , mediæ tres alii Sacri Ju-  
 dices assignati , qui in amplio cubiculo si-  
 mul assederant , pœnitentium noxas au-  
 dituri . Et jam hominum plusquam ducen-  
 torum eò se turba penetraverat , cum alio  
 quodam Sacerdote superveniente , inque  
 idem cubiculum se inferente , simul vis  
 populi ingens irrumpit . Ecce autem , dum  
 subjecta pedibus tigna tantum ponderis  
 non ferunt , trabibus pandatis , ac denique  
 fatiscentibus , pavimentum , sellæ , mensæ ,  
 ac cætera cubiculi supellex : simûlque his  
 permixti homines in infimam domûs con-  
 tignationem devolvuntur , in qua præter  
 vacua aliquot vini dolia , hominum eti-  
 am nonnulli aderant . Commissarius  
 fragore collabentis domus audito , quid-  
 ve rei tristis evenisset , intellectô , ad tem-

plum pro liquore Sacri olei festinus accurrit, ut eâ ruinâ graviter lœsos extremè ungeret.

Sed ecce mirum ingens! ne unus quidem omnium parte uspiam corporis minima violatus apparuit, quamvis in turba collabentium multi fuerint parvuli lactentes, quos ab uberibus procul absilentes, grandiūmque turbæ immixtos, sedato ad extremum tumultu, ac dissipatis corruentium agminibus, Matres ad unum sospites omnes recepere. In infima quoque, quam dixi, domûs area, cum ruina doliis non pepercerit, homines tamen à noxa immunes fuere. Unum quempiam, qui fortè lassus humi se abjecerat, ponderis immanis trabs in pectus illata, oppressura hominem videbatur, sed ipse quoque appellato Xaverii nomine periculum exiit, siquidem lignum arcana vi in sublime elatum tamdiu perststit, dum inde ereperet rusticus, séque in tuto locaret. Celissimus certè Labacensium Antistes, Comes Lesleus, qui præsens missioni aderat, non dubitavit de miraculo publicè pronunciare, quô DEUS ostendere voluerit

erit, eas Missionum Sacras functiones sibi perquam gratas accidere.

Annō MDCCXXVI. Adamus Zeuka Pacensis, cogente sic anni MDCCXVI. fame, filium aliò proficiisci jussérat, quæsiturum sibi vitæ adjumenta, ac postea reversurum. Sed anni jam propè decem abiérant, nec filio tamen revertente, Pater ejus sortem anxius agere apud Xaverium precibus institit, si quid de filio posset cognoscere. Nec multis pòst diebus, cum noctu Adamus evigilasset, hæc talis cogitatio mentem illi pepulit, nunc adesse tempus Xayerii rogandi, si preces irritas esse nollet. Surgit ergo rusticus, atque in genua abjectus reddi sibi filium rogat, solatium pauperis domûs, & inclinantis jam Senii fulcrum. Ecce autem die altero per viatores illuc iter habentes certiora de filio cognoscit, atque haud multò intervallò temporis reperit.

Annō MDCCXXVII. Marburgi ci- vis miserrimè luctans tribus jam hebdomadis mortem longam potius, quàm vitam trahebat. Plurimis hominem commiserantibus, uni alicui venit in mentem

benedictum cereum de ara Xaverii Oberburgensis luctanti in manus inserere. Rediit ad se confessim miser, DEOque, ac Xaverio gratias agens inquiebat: laudes DEO optimo! nunc demum prostratis orci machinis, securus periculi, lætusque emoriar.

Ad annum MDCCXXVIII. Tale ignoto homini beneficium Xaverius memroratur præstitisse. Is gravi ægritudine ad vitæ confinia deductus, luctari jam cum morte cœperat, cum uxor morientis horrificam speciem non ferens, domo erupit, omniāque fœmineo ejulatu complevit. Opportunè ibi præteriens cum mercibus circitor causâ lamentandi intellectâ, fœminæ brevibus enarrat, quæ mira per hæc tristia eventuum Xaverius Oberburgensis invocatus patraret. Mulier desperatione in fiduciam versa, confessim Cœliti, quamvis sibi ignoto vota nuncupat, quibus si marito succurreretur, peregrè se ad Xaverium ituram, ac rem Divinam fieri curaturam promittit. Eò momentô æger de lucta in somnum delapsus Xaverium sibi adsistentem habuit, cum monito:

nito: securus quidem periculi in præsens ageret; non enim hoc tempore moritum: iret tamen, ubi revaluisset, ad collēm Strashensem, & crimina, quæ hæc tenuis coram Sacerdote celâsset, planè, ac disertè exponeret. Inter hæc ægrotus somnū excitus, sentit sibi meliusculè esse, linguam etiam ad officium rediisse. At uxore, quod se votō obstrinxisset, narrare aggressa, ipse quoque objectam sibi in somnis imaginem cum gaudio recenset, pauloque post integrè consanatus Oberburgi adfuit, ubi perturbatas conscientiæ rationes enucleatè expediens, seriūmque animi dolorem ostendens duplicis beneficii nomine Xaverio se obstrictum agnovit.

Sed plus admirationis alterum beneficium habuit, quod Annō MDCCXXXI. Juvenis, è longinquo Oberburgum veniens, sibi in hunc modum retulit accidisse. Cum flagitorum, inquit, ac turpitudinum omni genere adolescentiam contaminâsssem, D E O criminum meorum benigno ultiore, jacebam domi paternæ violenta phrenesi correptus, quæ exitium in pro-

proximo abesse portendebat. Parentes  
 mei cereo Sacro in manus meas inserto,  
 Xaverio tamen adhuc fidentes, meque in  
 ejus Clientelam commendare aggressi,  
 peregrinationem piam, si ab illo periculo  
 fospes existerem, vovere. Inter haec ego  
 sensuum impos, videre mihi sum visus  
 Cœlestem genium tutelam meam, qui  
 per orbis alterius suppicia, Divino Judi-  
 ciò damnatis luenda, me circumducens,  
 simul mihi ostendit, si aut jam morerer,  
 aut porro malus esse perseverarem, qui  
 me horrendi cruciatus per vitam alteram  
 manerent. Ego perterritus Cœlesti osten-  
 so, cum deinde mihi redderer, inter mul-  
 ta suspiria, ac gemitus vitam emenda-  
 tiorem pollicitus, etiam à morbo me sen-  
 si paulatim recreari.

Sed corporis, ac virium integritate  
 usus, non diu scilicet propositum tenui,  
 & visum illud in ludum, ac inanem somni  
 imaginem referens, ad pristinas libidines  
 non cunctanter reverti. Et quamvis Pa-  
 rentes huc voti causâ venientes comita-  
 tus essem, tamen neque orare placuit,  
 nec confessione animum repurgare, donec  
 hye-

hyeme superiore in tertiam , eámque vehementissimam phrenesim incidens , ob pertinaciam infesti morbi , medicis adeò ipsis conclamantibus , vitæ meæ desperavi . Subinde parentibus meis ad Xaverii opem implorandam conversis , votaque eadem geminantibus , ego interea colorem vultus diverso mutare , tremere , sudare , ac desperanti similis apparere , post temporis verò intervallum serenus , ac hilaris , ac eodem adhuc die sanus esse , ut alterius diei mane Sacris in templo ceremoniis assisterem.

Multa me parentes posthæc percontati sunt , quæ mihi se species tunc objecerit , cùm è desperabundo repente hilarius existerem , quibus ne misericordiam Numinis tacerem , id , quod res erat , respondi , esse me tunc amæna in loca Cœlum versùs deductum , ubi Judici Divino terrorem oculis ferenti , orcinianus Satelles criminum meorum longam seriem è tabula recensuerit : hæc mihi tum desperationem ingessisse ; verum sub hæc è magno Cœlitum numero Joannem Nepomucenum , Sacerdotis amictu insignem , juxta-

juxtaque Xaverium peregrini habitu processisse; ac Xaverium quidem vultu primum in iram composito me esse intuitum, dein verò si Sacris Mysteriis expiatus, mores porro corrigerem, spem bonam ostendisse, mundoque sudario erratorum meorum syllabum è tabula detersisse.

Hæc omnia Juvenis inter non vulgaria animi dolentis indicia, ipse coram Sacerdote narravit, pristinamque post hæc indolem longè in melius mutavit. Sed de uno hoc, in præfens retulisse sufficiat, quando hinc de plurimis aliis fieri potest conjectura, quos Xaverius in suo colle ad erratorum seriam pœnitudinem, atque adeò ad salutis viam reduxit. Id certè constat, fuisse ex eorum numero complures, qui cum sola videndi libidine inducti, Oberburgum venissent, aliorum exemplis commotos de emendanda vita seriò decrevisse.



## C A P U T I X.

*Divi Xaverii Variæ apparitiones.*

**U**T sciremus, quām lenes animos, quāmque promptitudinem in suos Clientes ferat Xaverius, non satis habuit supplices de Cœlo intueri, quæque postularent beneficia, promptè concedere: ipse per se spectabilem sæpius se objecit preventibus, ac quid fieri vellet, devotis suis ostendit, qua de re jam modò dicemus.

Annō MDCCXIX. Zacharias Rosterus nobili apud Labacenses loco natus conjugem habebat, quam febrium æstus quindecim dierum calore perpetuo delirare fecerant. Et matris labores prolem quoque, quām uterō gestabat, periclitari fecere. Maritus salute utriusque Xaverio commendatâ votis se obligat, si preces irritæ non essent, religiosè solvendis. Inter hæc mulier, tanquam si ex gravi somno rediret, prudens, ac planè sui compos somnium suum Marito refert, quo sibi visa esset delabi in præaltam foveam, sed ab ignoto Societatis Sacerdote, breviculum mantellum,

lum, quale peregrinorum est, induo al-  
latas sibi suppetias, ut inde emerget.  
Non latuit maritum, quis ille esset op-  
portunus in eo periculo conjugis adjutor,  
multumque lætatus, sociæ plenam sanita-  
tem brevi reddendam operiebatur. Subin-  
de illa in somnum iterum deflexa, cùm pri-  
ora somniaret, simul peregrinus ille his il-  
lam est verbis allocutus: adverte, adverte,  
ac scito me tibi opem tulisse. Quò dictò il-  
la evigilat, ac omni jam febri depulsa, pro-  
le incolumi juxta partumque absolvitur.

In eundem modum Matthæo cuidam  
Bausheo è paræcia S. Guttulæ per somnum  
objectus Xaverius, utramque ejusdem  
prolem ab ægritudine, hominem à gravi  
cura absolvit.

Nec minùs Margaretham Raziam  
hoc eodem anno Divus noster solatus est.  
Hæc ut pecus suum servaret, quod lues  
afflaverat, è Carinthia Oberburgum per  
montes aspermos Xaverio supplicatura  
contendit. Verum cùm domi redux ad-  
esset, nec pecus sanatum, quin adeò plu-  
ra morbò correpta deprehendisset, animis  
juxta, ac somnò defecta in multam no-  
ctem

Etēm per conclave obambulat, meditans  
secum, quid causæ esset, cur Xaveriō  
minus propitiō uteretur. Hæc talia cogi-  
tanti, ac planè vigilanti, sentientique  
beatus se illi Xaverius stitit, hortatur ut  
mœstitudinem poneret, brevi meliora ex-  
perturam, atque ex oculis rursus discessit.  
Illa Cœlesti viso confirmata, cùm reli-  
quum noctis svaviter acquiesceret, alteri-  
us diei mane sanatum omne pecus invenit.  
Ea propter peregrè iterum ad Xaverium  
profecta, grates prolixè dependit.

Annō MDCCXX. Jam Sacris pro-  
curatus certam in horas necem operieba-  
tur Joannes Kokallius apud Lüpizium  
Carnioliae vicum, cùm uxor pro marito  
Xaverium precata, tantum evicit, ut sta-  
tim à votis, mariti lecto vir specie vene-  
randa adfisteret, quo manum capiti ægri-  
entis admovente, periculum omne mo-  
mentō diffugit.

Annō MDCCXXII. Elisabetha Sa-  
vrazkia Odenfeldā veniens, de se retulit,  
conflictatam se fuisse in alteram jam he-  
bdomadam febri malignæ, quæ noxiis phar-  
macis irritata, exitium acceleratura vide-  
batur. Jāmque extremis se deliquiis fati-  
gari

gari cœptam quando Xaverius prope le-  
 ëti sui spondam assistens sic eam compel-  
 lârit: quia me, inquietabat, in hac mea Ico-  
 ne ( in pariete vicino fixa pendebat ) ve-  
 neraris , ego præsens à te periculum proli-  
 um tuarum bono defendam, si tamen hanc  
 meam effigiem in majori deinceps venera-  
 tione habueris , ac genibus priùs humili sub-  
 missis , piô deinde osculô colueris. Desit  
 videri Sanctus , & mulier sensibus redditâ  
 ductis altè suspiriis tantum virium poscit ,  
 ut in genua se demittere, quódque Sanctus  
 jussisset , valeret præstare. Et addi sibi vi-  
 res continuò sentiens properè surgit , fle-  
 xisque priùs poplitibus labra devotè iconi  
 apprimit. Secundùm hæc illa , mirum di-  
 çtu ! humô se attollens, inter laudes DEO,  
 ac Xaverio redditas se integrè sanam esse  
 exclamat. Nec multò pòst ad referendam  
 debitam gratiam novem Cœliti ferias sa-  
 cravit , & die ultimo à noxis lustrata , epu-  
 lóque Cœlesti potita, beneficium Ober-  
 burgi ipsa narravit VI. Calendas Augosti.

Eodem anno insigni se auctam bene-  
 ficio meminit Josepha Franzuria Windo-  
 Græcensis, quæ ut partu felici mater existe-  
 ret, ad Xaverii memoriam decem dies Ve-  
 neris

neris religione præcipua colendos pollicita, cùm die postremo molestum, atque difficile iter haberet, iterum rem Divinam apud aras Xaverii se præsente curandam promittit. Brevi post hæc Josephæ deliquescenti spectabilem se exhibuit Xaverius, partumque matri, prole incolumi, fortunavit.

Sic Adamus quoque Buzius Schwarzenbacensis, dum apud Beatum pro filioi sui jam animam agentis salute agit, sentit repente ad ægrientis pueri lectulum halari odoris miri fragrantiam, qui per reliquum conclave diffusus, non sinebat dubitare Adamum de præsentia Cœlestis medici, qui puero salutem mox consecutam afferret.

Annô MDCCXXIII. Jam triduum inter perpetuos agones egerat Maria Nefflia Roitschensis, quam maritus ità luctantem miseratus in prolium corona comprehendantium, dum Xaverio, quām potest, efficacissimè commendat, continuò Divus a fuit veste talari pulla indutus, sic ut ab omnibus videretur, statimque ægra habere meliusculè, ac postremò nullas morbi injrias sentire deprehensa est.

Ad Ursulam quoque Schronziam hoc eodem anno Xaverius invisit, quæ morbi causâ precibus in novem dies sibi indictis, cum parum constans esset, illi se videndum expansis manibus Beatus obtulit, libenter opem se laturum fuisse dicens, nî ipsa per inconstantiam id vetâisset. Perrexit illa post hæc preces fundere, & Divus morbi vim frangere, ac malum denique omne depellere.

Per ejusdem anni tempus Capellensem vicum flammæ corripuerant, tam violentæ, ut omnia in cineres daturæ viderentur. Simon Kuneckus reclusis domi liberis, si quâ opem ferre restinguendo incendio posset, adjunctâ sibi thori sociâ procurrens, cum flammæ nihilominus grassarentur, accire Cœlestem opem laboravit editô votô ad D. Xaverium de Missa ejus honoribus curanda. Valuit Beati in flamas imperium, & Simon depulsô periculô domum cum uxore rediens, audit minores pueros rem miram narrantes, quâ terriculum interea temporis apud se fuisse memorabant. At seniores non terriculum id fuisse, sed Sacerdotem mira luce circumdatum à se visum affirmabant. Hinc adeò facile parentes

cupat, per cuius moram illi se Xaverius ostendit cum dicto, si sanus quidem fieri vellet, apud se suamque ædem invisere non omitteret. Et quia locum ægrotus cognitum non habebat, nec Divus ipse nominarat, addidit porro Sanctus, eum locum quem diceret, Neüstiftiō haud procul abesse. Secundum hæc experrectus æger, cum melius utique sibi esse animadverteret, lætus, ac alacer animi ad Xaverium preces, ac vota flectens, non multis pòst diebus nullò adjutus pharmacò pristinam sanitatem inventit.

Annò MDCCXXVI. Mariam Wrefunickiam Clagenfurti in Carinthia Civem, diuturnò hebdomadarum octodecim morbo exercitam, jámqüe fatiscentem novissimè hæc talis cupido incessit, tamdiu saltèm vivere ut liceret, dum unam adhuc profecctionem Oberburgum Xaverii salutandi causâ suscipere fas esset. Ecce autem altera pòst nocte inter quietem illi se Divus spectabilem obtulit, sanam continuò fore pollicens. Nec vanis imaginibus delusam mulierem eventus probavit.

Annò MDCCXXVI. Scriniorum faber apud Capellam Vindicam Georgius Ebnerus,

rus , minorem aram honoribus Divæ Annæ in Xaveriana basilica statuendam fabrefecerat , quæ illi res , ne bustum fieret , domum , ac rem familiarem omnem creditur servavisse . Fortè enim uno dierum uxor coquendis panibus pistrinum bis inflammat , cùm noctu cunctis dormientibus , glicens ignis cœpit vicina quæque carpere , latiusque per domum serpere . Ecce autem adest dormienti matrifamilias Xaverius , monéisque illico surgere , in domo periculum ab incendio esse . Et planè , dum evigilasset , discedentem ex oculis Xaverium aspexit . Hic illa confessim in atrium culinæ excurrere , & quæ emerserant , flamas affusâ aquâ perdomare . Sed quod perniciem jam sub tecto hærcere animadverteret , maritum in opem evocat , quo suppetias afferente , Vulcanum denique sinè gravi domûs noxa restinguunt .

Annô MDCCXXVII . Alius quidam , cuius nomen compertum non habemus , passibus acceleratis ad vitæ confinia properabat . Succurrit tamen homini in eo articulo preces Xaverio fundere , deductoque ab imis præcordiis suspirio , & O ! inquit , S . Xaveri ! fugientem quæso animam sistito ,

mihi que valetudinem nisi aliud expediat , reddito , ut ædes tuas novas revisere grato liceat ! vix ille hæc , cùm eo temporis momento Xaverius affuit , habitu , quo eum Oberburgi colores adumbrant , injectaque dextrâ capiti decumbentis solatium se ferre dixit . Et vera dixisse , consecuta sanitas ostendit , siquidem æger brevi pòst magno sudore diffluens , ægestò malò sanus in crastinum surrexit .

Annò MDCCXXIX . Vectante lapides Saxofeldano quodam Georgio Drolzio pondere circiter librarum mille , ejus nepos , novem admodùm annorum puer é plaustro delapsus in orbitam , rotis currentibus substernebatur . Exterritus illò infortuniò Georgius magna vocis contentionе Pletravizensem Divam Virginem , ac Xaverium invocat rogans , ne quid puer ea re detrimenti caperet . Dum deinde puerum inspicit , magna cum admiratione videt toto , quàm longum erat , adolescentuli corpore lineam cinerei coloris , salvò cæterà puerò . Quærenti , qui tantum periculi incolumis exisset , respondit puer adstituisse specie pulcherrima , Cœli Dominam Xaveriò comitatam , qui quò minùs læderetur , suò impe riò prohibuissent .

CAPUT

## C A P U T X.

*Miracula Xaverii per Icones, & aquam  
ejus nomine consecratam.*

**Q**UAM olim Petri umbra salutem miseris,  
eandem Xaverius suis in Iconibus ad-  
umbratus , undaque suo nomine lustrata  
non raro attulisse fertur, testantibus iis haec  
talia, Sanctumque collaudantibus, qui pro-  
pitium eatenus Cœlitem sensere,

Primū quidem anno MDCCXVII.  
Lauffensis quædam mulier vim undæ Xa-  
verianæ experta est, quæ Eva Sturmia dice-  
batur. Nempe in annum jam alterum non  
nisi grallis nixa incedere poterat , tametsi  
nihil interea omisit , quo gressum corrigi-  
ret. Igitur illum pedem, qui maximè offici-  
um detrectaverat, undâ, quam dixi, Xave-  
rianâ lustrat , simul Beatō Patri supplicat ,  
si voluntas DEI foret, tantum nervis robur  
inderet , ut necessarias cum marito operas  
partiri possit. At fœmina jam plurimas no-  
ctes insomnes duxerat : tamen secundūm  
haec vota id noctis placidissimè acquiescens  
mane ad officium redire , operasque cœpit  
marito præstandas reposcere.

Nec multò aliud Joannes Strasserus Tuchainenensis & malum habuit, & mali remedium invenit. Is anno superiore Saracum onustum vino attinere cupiens, cum viribus impar esset, impetu prævalente in præaltam fossam unā cum curru dejectus, alterum pedem non uno loco miserè affecit. Accessit aliud malum, pecoris domestici ægritudo, ut quamvis tenui censu hominem, sinistra sors fortunis simul omnibus viseretur velle evertere. Ne id fieret, Xaverio Joannes uti deprecatore constituit, pollicitus rem se Divinam, ut sibi, pecori que sanitas rediret, pro aris Xaverii bis curaturum. Et malum quidem alterius diei manè à stabulis depulsum esse deprehendit: quare adauctâ fiduciâ, votum insuper defusciendi, ad Xaverium peregrinatione concipit. Nec distulit ire, cum illic advenies audit de salutari Xaverii latice, quem Cœlite conciliato, opportunè utique sanandis pedibus adhibiturus esset. Ille bene monentes nihil moratus, aquâ pedem ocyus lustrat, quâ medelâ adhibitâ pes in statione esse, ac sanus in cæterum esse perrexit.

Est in Carniola Watschensis paræciæ Curio Vir Illustrissimus D. Wolfgangus ab

ab Isenhausen, qui ad annum MDCCXIX.  
 Oberburgi ad frequentissimam Concionem  
 verba faciens terna miracula retulit, quæ  
 apud paræciam suam contigere. Tertium  
 eorum, et si hujus loci non est referre, ta-  
 men quod cum reliquis narratum est, non  
 putavi à reliquis secernendum. Ha-  
 bebat filium ædituus ad D. Lamberti fa-  
 num, cui intestinus humor in tympanum  
 destillans usum utriusque auris novissimè  
 corruptit. Commodum id temporis adjutor  
 parochi Icone Beati Xaverii patrem pueri  
 donârat, quam ille ad plebis devotionem  
 parietibus templi fixam filio expertus est sa-  
 lutarem. Nam puer auditis iis, quæ de po-  
 tente Cœlitis patrocinio in ore vulgi passim  
 circumferebantur, speravit se quoque ad-  
 jutum iri, si modum, quod Divus potissimum  
 colendus, rogandusque esset, ab aliquo do-  
 ceretur. Posteaquam verò intellexit Cœlité  
 id sèpe sèpius gratū habuisse, si quis noven-  
 dium illi consecraret, statuit eo ritu sibi  
 Xaverium propitiare. Primus adhuc dies  
 labebatur quod venerari adolescens ante eā  
 quam dixi Iconem quibusdam preculis Xa-  
 verium cœpit, cum una primùm auris cor-  
 recta est, ac mox alterius consecuta sanitas  
 pare-

parentem juxta cæterosque Parochianos movit, ut eam effigiem fusis precibus, luminebusque accensis sibi præcipue colendum sumerent.

Alter deinde fuit, qui fæda scabie caput tectus, asperæ quercis corticem refebat. Sed nimirum ad eandem Beati Patris effigiem oranti desquamatae sunt crustæ sinnè ope humanæ manūs, & ille eō probrō immunis postea apparuit.

Sed tertium denique plus rei miræ habuit. Fortè enim parentibus foras ex negotio prodeuntibus domi ad putei crepidinem binæ proles colluserant, cùm altera non observante, minor in puteum præceps agitur. Eventu tragico Matri nuntiato, accurrit illa cum vicinis, atque infans ex aquis post horam rigidus toto corpore eximitur. Matre quām doloris sentiente, tam consilii in eum casum experte, vicina mulier, omnes ut idem facerent hortata, terræ genua submittit, magnisque vocibus Xaverium inclamans de vita mortuæ reddenda Cœlitem appellat. Fecere id juxta cæteri, & Divus precantium Vota non diu moratus, redire in corpus animam jussit. Secundūm hæc oculos proles attollere, & egestâ, quam copiose biberat, aquâ sangvini con-

creto intermixtâ, color vultui rediit, & proles integre sana Matrem, ac cœteros præsentes stupore simul, lætitiaque implevit. His prodigiis permoti Watshenses in eadem Divi Lamberti æde facellum Xaverio dedicârunt.

Annô hunc quem diximus consequente hydropem Xaveriano latice depulit Maria Dolinarzia è Paræcia Ratschacensi ; & altero pòst anno periculosum alias incendium repressit, cum Sancti iconem in medias flamas, injecit, ignbius nihil detrimenti inferre ausis, quæ dein Sancti effigies à Matthæo Mlakario cum uxore ac filio testibus Oberburgum allata est.

Annô M DCC XXIII. Maria Rosina Branckia honesto loco apud Clagenfurtum nata, jusjurandum tale de marito editit. Nempe illi multo ac concreto sangvine, qui meatus obsederat, spiritum interclusum, ut denique à medicis, virisque qui aderant, religiosis mortuus diceretur. Se tamen animis in fiduciam versis experiri voluisse, quid spes in Xaverium, ac quid Xaverius in hisce extremis casibus posset. Igitur prehendisse se Oberburgensis Divi imaginem, vocéque ad illum conversa

pro-

professam, eum honorem quem hactenus deferre consuēset, Cœliti se deinceps negaturam, si hic adesse tardaret. Tum se accurrisse ad mortuum, imposuisse ejus pectori imaginem, rogasséque maritum, si adhuc viveret, Xaverium ut piō suspiriō veneretur. Sed his nimirum nihil proficienibus, iconem à se mariti labris admotam, ubi demum res mira evenisset. Siquidem eō momentō virum movisse labra, osculum imagini ferentis ritu; sub hæc verò & vocem rediisse, omnibus qui talia viderunt, stupore attonitis, ac denique conjugem integre sibi redditum etiamnum valere.

Annō MDCCXXV. Thomas Afus periculosum in capite tumorem circumferebat, quem ignis Sacer in multo pejus accenderat. Et quoniam hominem præsidia humana defiebant, apud Xaverium de salute agere instituit. Inter hæc somnum aliquando capienti hæc talis scena objicitur, quâ sibi visus est Oberburgi in corona supplicantium adesse. Experrectus, ac quæ somniasset reminiscens, altum ingemiscere, & ô si, inquit, adesse Oberburgi liceret! Verum juvare hominem Xaverius jam constituerat; itaque hanc ei mentem ingerit,

ut

ut Xaverianum laticem posceret, illóque, qua tumor grassabatur, caput lavaret. Fecit id Thomas, magnâ fiduciâ, & tumor omnis cum periculo paulatim abscessit.

Jumentis quoque per laticem Xaverianum reddita salus. Nam Annō MDCCXXXI. Paganum hominem in Lauffensi paræcia, Bartholomæum Gorschecium juvencus jam quatriduum procumbens sollicitum habebat, quòd pecus pabulum juxtâ, medicinámque recusaret. Dum nihil aliud succurrit, quo juvari bosculus posset, aquam quæ domi asservabatur, Xaverii nomine consecratam illi aspergit, cernítque pecudem confestim caput attollere, ac rustico lustrationem repetente, etiam in primores pedes assurgere. Quô mirè latus colonus juvencum undâ eâdem tertium lustrat. Id ubi factum, bos de integro valuit, fœnumque ocyùs affectavit.

Complura hic adhuc memoranda forent, tum quæ per imagines, tum per undam Xaverii nomine consecratam mira acciderunt; nec ea silenda, quæ hunc ipsum de Beati Patris beneficiis libellum legentibus evenère, verùm iis in præsens omissis, una hic præteriri non debet Serenissima Poloniarum Regina Maria Josepha, tum adhuc Regia Archidux Electoralis Saxoniæ, quæ lectis Oberburgensis D. Xaverii maximis

ximis illis prodigiis, fiducia adversus Cœlitem singulari incensa, prolem quam uterō gestabat, magnis precibus Beato Patri commendavit. Et audiit optimæ Principis vota Xaverius: nam illa dulci pondere feliciter levata, Principem edidit Filium, Magnum Patris Patriæque solatium, quem Regina, post DEUM, Xaverio in acceptis referens, Xaverii nomen gerere à fonte lustrico voluit. Simul Iconem Divi morientis Oberburgensis prototypæ geminam depingi, Dresdam deferri, ibique in Odeo aulico ad venerationem Romano-Catholicorum exponi mandavit.

Atque hæc demum sit meta narrationis, alioquin limites jam fermè prætergressæ. Æternō illi Nuniini sint gratiæ, Sanctum suum tam mirificè illustranti, in cuius majorem gloriam hunc qualem cunque conatum nostrum referentes, opusculo huic finem imponimus.

A. M. D. G. B. V. S. L. C. ac S. F. X.  
Honorem.



D. O. M. A.

Quod Bonum, Felix, Faustum,

Fortunatumque sit

Huic Almæ Regio-Principali Soc. JESU

ACADEMIÆ CLAUDIOPOLITANÆ,

Senatui Philosophico,

Totique Reipublicæ Christianæ.

SUB ADMODUM REVERENDO, AC  
CLARISSIMO PATRE

STEPHANO DOBNER

è S. J. AA. LL. Phil. & SS. Theol. Doct.

Almæ Regio-Princ Academ. Claud.

RECTORE MAGNIFICO. & CANCELLARIO  
AMPLISSIMO,

P E R

ADMODUM REVERENDUM, AC DOCTISSI-  
MUM PATREM

FRANCISCUM PREKENFÖLD

è S. J. AA. LL. & Philos. Doct. nec non  
Altiorum Scholarum Praefectum

ET ACTUALEM PRO-CANCELLARIUM.

Specieb. Rev. Prænob. Nob. Eximii, & tam Virtute,  
quam Erudit. Conspicui, AA. LL. & Phil. Bacalaurei, in  
Aula Academ. Regio - Princip. Claudiopolitana S. J. Anno

M. DCC. XXXVII. Mense Julio, die 22. hora 8 vñ

Mat. ad Supr. in Philosophia Lauream conse-  
quendam licentia donati,

Deinde vero ibidem per

R. P. ANTONIUM GRUEBER

è Soc. JESU, AA. LL. & Philosophiae Doctorem,  
ejusdemque Professorem Emeritum, & p. t. Seniorem  
Supremam Magisterii. seu Doctoratus Philosophici  
Laurea condecorati sunt.

# NOMINA PROMOTORUM.

1. Ordine Alph.  
D. DANIEL MARCZINAI Nob. Valach.  
Unitus de Terra Fogaras è sem. S. Josephi. *Defendit universam.*
2. Ordine Alph.  
R.D. MATHIAS BALÓ Præn. Sic. Csomofalv. ex Sede Gyergyó è Sem. Cler. Alumn. Apor. *Defendit universam.*
3. Ordine Alph.  
D. LADISLAUS CSAPI Perill. Siculus Kallensis ex Sede Maros è Conv. Nob. *Defendit universam.*
4. Ordine Alph.  
R. D. PAULUS BIRÓ Nob. Sic. Esztelenkiensis ex Sede Haromszék è Sem. Cler. Alum. Apor. *Defendit univers.*
5. D. STEPHANUS CZIKO Peril. Siculus Mindszentiensis ex Sede Csík è Convict. Nob. *Defendit universam.*
4. R. D. MATHÆUS SYLVESTER Nob. Sic. Alfalven. ex Sede Gyergyó è Sem. Cler. Alum. Apor. *Defendit universam.*
- D. FRANCISCUS ORBAN Peril. Sicul. Lengyelfalv. ex Sede Udvarhelyen. è Conv. Nob. *Defendit universam.*
- D. JOANNES FERENCZI Nob. Sic. Levecsienensis ex Sede Udvarhely. è Sem. S. Josephi. *Defendit universam.*
- D. JOSEPHUS DEMES. Nob. Sic. Mindszentiensis ex Sede Csík è Convictu Nobil. *Defendit universam.*

# *PROBLEMATA IN ACTU DECISA.*

I. An Continentia, an  
Magnanimitas in Duce  
magis laudanda ?


II. An plus timendum  
Transilvaniæ à Turcis, an  
à Tartaris ?

O. A. M. D. G.




АКТИВИЗАЦІЯ  
КРІЗЕМУЧОГО  
ПОДІЙНОСТІ ОВА  
СОЛЛІНІ ВІДНОСИ  
СІВІЧНІХ ПРОЦЕС  
ІВІДНОСТІ СІВІЧНІХ  
ПРОЦЕСІВ

О.Н.М.А.О.



Сівічні



B  
AS

T